BL
820
.G5P5

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. BL820

Shelf .G5P5

UNITED STATES OF AMERICA.

DE GIGANTIBUS FABULARUM GRÆCARUM

DISPUTATIO.

SCRIPSIT

JOHANNES VICTORINUS PINGEL.

HAUNIÆ.

TYPIS I. COHENII.

Hr. Fabrikeier C. Drewsen

ærbødigst

fra

Forfatteren:

DE GIGANTIBUS FABULARUM GRÆCARUM

DISPUTATIO,

QUAM AD JURA DOCTORIS PHILOSOPHIÆ MORE MAJORUM ASSEQUENDA

SCRIPSIT

674

ET DIE IX MENSIS MAJI HORA LOCOQUE SOLITO

41

PUBLICE DEFENDERE STUDEBIT

JOHANNES VICTORINUS PINGEL,
PHILOLOGIÆ CANDIDATUS.

HAUNIÆ.
TYPIS I. COHENII.
MDCCCLXIV.

BL 820
.G5 P5

Dissertationem, quæ inscribitur „De Gigantibus fabularum Græcarum," Facultas philosophica Universitatis Hauniensis dignam censet, quæ pro summo gradu philosophiæ rite assequendo publico examini subjiciatur.

Hauniæ d. IV. Aprilis MDCCCLXIV.

F. A. Mehren,

h. a. Decanus Facultatis philosophicæ.

INDEX RERUM.

Pag.

Præfatio 1

I. Quæ scriptores liberæ Græciæ de Gigantibus tradant.

§ 1. De Gigantum nomine 4
§ 2. Narratio Apollodori 8
§ 3. Testimonia poetarum epicorum antiquiorum . . . 10
§ 4 Testimonia poetarum lyricorum 18
§ 5. Testimonia poetarum dramaticorum 22
§ 6. Testimonia scriptorum prosæ orationis et poetarum Alexandrinorum 29
§ 7. Fabulæ per hoc temporis spatium mutationes . . . 36

II. Quæ scriptores temporum Romanorum de Gigantibus tradant.

§ 1. Testimonia poetarum Latinorum 50
§ 2. Testimonia poetarum Græcorum 58
§ 3. Testimonia scriptorum prosæ orationis 62

III. De Gigantibus fabularum topicarum.

§ 1. Quæ loca in Gigantum fabula commemorentur. De Gigantibus Argolicis Wieseleri, Atticis C. O. Mülleri. 73
§ 2. De Gigantibus Arcadicis et de Lycaonis fabula . . 79
§ 3. De Phlegyis 84

IV. De Gigantum fabula universa et de significatione ejus.

§ 1. Fabulæ historia breviter repetita. Welckeri et Wieseleri opiniones non probabiles 89
§ 2. Utrum Gigantes hominibus an diis propiores sint . 92
§ 3. Quid Gigantum fabula significet 96

PRÆFATIO.

Quicunque de rebus ad mythologiam Graecam pertinentibus scribendi consilium cepit, si quidem ei persuasum est, quod plerique libenter concesserint, illam studii antiquitatis partem etiamnunc præ cæteris dubiam et incertam esse, et divinationes levissimas illic, ut vix alibi, et proponi et tolerari, vanarum conjecturarum legiones augere verens eam sibi legem imponere debet, ut, quantum possit, elaboret, ut in illa quoque scientiæ antiquitatis disciplina firmum fundamentum, quo studia carere omnino non possunt, jaciatur. Fundamentum autem, quo omnis scientia historica nititur, constat ex iis, quæ tradita sunt. Prima igitur in qualibet fabula tractanda quæstio est, quid traditum sit. Deinde vero quum fabulæ non constantes sint et stabiles, sed, ut humana omnia, fluant et mutentur, opus est, testimoniis, quorum prima a postremis plus quam decem sæculorum intervallo sæpe distant, secundum ordinem temporum dispositis, investigare, quas vicissitudines et mutationes fabula per longum temporis spatium subierit. Sequitur quæstio de fabulæ mutatæ causis, difficilis sane et dubia; sed quia de rebus ad tempora nobis nota pertinentibus etiamnunc agitur, et quia fabularum vicissitudines et casus inter se sæpe illustrant, multa tamen etiam hic aut vera aut ad-

modum verisimilia, quæ fabularum naturæ et rationibus lucem afferant, inveniri possunt. Mutationibus fabularum consideratis et causis earum, quantum fieri possit, explicatis ultima et difficillima quæstio oritur de sensu et significationibus fabularum. Ad quam, quo quisque diligentius mutationes illas intra spatium temporis nobis notum factas animadverterit, eo cautius et circumspectius accedet. Facile enim perspicitur, fabulas ne per illud quidem spatium plurimorum sæculorum, quod ante Homerum fuit, non mutatas mansisse. Quam difficile est igitur primas et genuinas formas earum assequi! Ad quas tamen ascendat necesse est, qui sensum et significationes eruere velit. Alia quoque consideratio maximam cautionem suadere videtur. Nam licet dii Græci initio imagines et adumbrationes rerum naturalium fuerint, sine dubio tamen jam perantiquis temporibus animantes vivi et veri, immortales illi quidem et beati, sed natura prorsus humana, crediti sunt; e notione autem deorum humanorum velut e fecundo semine ingens numerus fabularum de vita et moribus, de amore et odio, de possessionibus et certaminibus deorum, quæ sensu recondito et symbolico prorsus carerent, ortus sit necesse est. Quibus rebus permoti in dissertatione nostra de Gigantibus hoc potissimum spectavimus, ut fabula ipsa et historia ejus quam accuratissime cognosceretur. In loco dubio de significatione ejus hoc tenuimus, fieri posse, ut Gigantum bellum rerum naturæ violentas vicissitudines significet, verum ex altera parte non minus verisimile esse, totam illam fabulam libero fingendi et creandi studio quum omnibus populis tum præcipue Græcis innato deberi.

Gigantum fabula celeberrima, ne nostri quidem temporis hominibus non plane indoctis ignota, a nullo scriptore

qui de universa mythologia Græca egerit, prorsus negligi potuit. Diligentius tamen et copiosius de Gigantibus solus Wieselerus egit in Erschii et Gruberi Encyclopædia disciplinarum et artium.[1]) De qua dissertatione pauca nobis dicenda erunt.[2]) Wieselerus omnia fere, quæ apud scriptores et in monumentis artis de Gigantibus inveniuntur, admirabili doctrina et egregia cura collegit. Itaque etsi multos scriptores antiquos hoc consilio perlegeram, ut, quicquid ad Gigantum fabulam pertineret, excerperem, tamen, quum Wieseleri dissertationem cognovissem, vidi, perpauca esse, quæ mihi ab illo viro doctissimo non prærepta essent, et permulta ex angulis remotissimis litterarum Græcarum et Romanarum cognovi, quæ mihi prorsus ignota erant, et quæ vix ipse invenire potuissem. Nihilo minus ab incepto opere non desistendum esse duxi. Mox enim perspexi, virum in rebus minoribus admirabilem neque locupletissima subsidia, quæ paraverat, ordine historico, qui solus probari potest, disposuisse, neque de fabulæ motu et incremento recte judicasse neque conjunctionem ejus cum aliis fabulis satis intellexisse neque de sensu ejus cum prudentia statuisse. Qua de causa dissertationem, quam doctorum examini nunc subjicio, non prorsus inutilem fore putavi.

---

[1]) Sect. I. Vol. 67 (1858), p. 141—184. — [2]) Ryckii Oratio de Gigantibus (Lugd. Bat. 1681) hoc quærit, num antiquissimis temporibus in variis terris Gigantes fuerint. Zwergii Dissertatio de Gigantibus (Kilon. 1715) Sacræ Scripturæ Gigantes tractat. K. Schwenckii Dissertatio de Gigantibus (in Philologo Vol. XVII p. 673—682) tanta levitate scripta est, ut rationem ejus habendam esse non putaverim.

Hauniæ die vicesimo primo mensis Novembris 1863.

QUÆ SCRIPTORES LIBERÆ GRÆCIÆ DE GIGANTIBUS TRADANT.

§ 1.

Antequam ad ipsam fabulam, quam tractaturi sumus, accedimus, de nomine Gigantum dicendum erit. Nam quamquam permulti viri docti nominibus mythicis abutentes explicationes etymologicas partim incertissimas, partim manifesto falsas quasi egregia fundamenta ad disceptationes mythologicas stabiliendas adhibuerunt, quam levitatem nuper G. Curtius [1]) optimo jure reprehendit, nonnunquam tamen nomina mythica recte explicata et sic non spernendum testimonium de fabulæ alicujus forma prima et sensu inventum esse, negari non potest. Videamus igitur, quæ ab ipsis antiquis et a recentioribus ad Gigantum nomen explicandum tentata sint. Aliis compositum, aliis simplex derivatum videtur. Illam sententiam secutus est Eustathius, qui ad Odyss. p. 1490. 19 scribit: *Γίγας παρὰ τὸ γίγνεσθαι καὶ τὴν γῆν*, et, ut videtur, etiam auctor carminis Orphici, cujus in Etymologico Magno [2]) hi versus afferuntur:

Οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
Οὕνεκα Γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος Οὐρανίωιο.

Quam etymologiam falsissimam esse, neminem fugiet; nam

---

[1]) Grundzüge d. griechischen Etymologie I. p. 93 sqq. —
[2]) s. v. *Γίγας*.

γι- est syllaba præfixa praesentis neque in compositis locum radicis tenere potest. Improbanda est etiam Lobeckii sententia [1]), Γῆγας a γῆς, quod secundum Hesychium terram significat, compositum esse. Nam ut de verbo illo nusquam alibi neque usurpato neque commemorato taceamus, composita verbi γίγνομαι satis multa sunt, sed nullum in -γας exiens. Nihilo minus Prellerus [2]) sententiam Lobeckii sequitur, addens Γῆγας α γῆς derivatum esse, ut γέγειος a γέα. Mirum est, virum doctum composita et derivata non melius distinguere.

Multo sine dubio rectius fecerunt, qui, præeunte auctore Etymologici Magni, Γῆγας formam reduplicatam a radice ΓΑ derivatam putaverunt. Constat enim reduplicationem in lingua Græca latissime patere, neque solum tempora quædam, sed etiam nova verba, ut παπταίνω, δαιδάλλω, μαιμάω, βιβάζω, δίδυμος hac ratione formata esse. Sed oritur hic difficultas; nam tres occurrunt radices, forma pares, significatione diversæ, ad quas nomen Γῆγας referri posse videtur et re vera a mythologis relatum est. Primam, quæ sæpius ΓΕΝ sonat [3]) et in formis quibusdam verbi γίγνομαι invenitur, prætulit G. Hermannus [4]), qui Γῆγαντας Genitales vertit utpote gentis humanæ procreatores et omnis fecunditatis auctores. Quæ sententia cum fabulis non congruit; nam homines e sanguine cæsorum Gigantum nati, non a Gigantibus procreati esse narrantur. Schwenckius eandem derivationem sequens Gigantum nomine significari putat, eos primigenios fuisse. Sed verbum in -ας exiens passivæ significationis esse, parum probabile est, et quomodo eos primos natos esse significari

---

[1]) Paralip. p. 83. — [2]) Griechische Mythol. I. p. 57 edit. alt. — [3]) Curtius Grundzüge d. gr. Etym. I p. 144. — [4]) Opusc. II. p. 177 sqq.

potest voce non composita, a verbo nascendi derivata? Alii statuerunt, *Γῆγας* derivatum esse a *γῆ*, *γαῖα* et idem significare atque *γηγενής*. Quam sententiam sequens Welckerus[1]) magnopere errat suspicans, syllabam *-γας* esse adjectivum *γάϊος* propter reduplicationem contractum; neque enim verba aperte derivata reduplicationem patiuntur, ut primitiva, neque *γάϊος* illo modo contrahi potuit. Deinde voces Græcas reduplicando formatas perscrutanti apparebit, satis magnum numerum verborum sic a verbis derivata esse, ut *διδάσκω*, *βιβάζω*, *πιπίσκω*, *λιλαίομαι*, *παπταίνω*, *δαρδάπτω*, *μαρμαίρω*, *παμφάω*, *μορμύρω*, *ποιφύσσω*, *πορφύρω*, multo pauciora nomina a verbis, ut *κεκρύφαλος*, *τέτανος*, *Τάνταλος*, *τιθήνη*, *γάγγραινα*, *Μῖμας*, nominum vero a nominibus reduplicatione derivatorum numerum valde exiguum esse, neque ullum continere, quod cum *Γῆγας* apte comparari possit. Voces, quæ huc pertinere nobis videntur, sunt *ἀκωκή*, *αὔταυτος*, *δίδυμος*, *Κέκαλος*, *Σίσυφος*, *δένδρεον*, *σίσυμβρον* et, quæ sola grammaticorum auctoritate nituntur, *ἀγαγύρτης*, *ἀγαυγή*, *τέτρομος*. De plerisque horum verborum egit Hainebachius in perutili dissertatione de Græcæ linguæ reduplicatione anno MDCCCXLVII Gissæ edita. De *δένδρεον* inspiciendus est G. Curtii liber supra citatus[2]), ubi demonstratur, hoc verbum formatum esse ab ea radice, quæ et in *δρῦς* et *δόρυ* et in nostro Træ apparet; Græcum enim *δ* nostro t respondet. *Κέκαλος*, nomen Megarense apud Thucydidem IV. 119, *δίδυμος*, *σίσυμβρον* nos addidimus. Priora illa, a *καλός* et *δύο* derivata, certa videntur; *σίσυμβρον* vel *σισύμβριον* a *θύμβρα*, quod apud Dorienses *σύμβρα* sonaret, derivatum esse suspicamur. Neque enim magnum discrimen inter illas

---

[1]) Griechische Götterlehre I. p. 787. — [2]) I. p. 204.

herbas fuisse videtur. Sisyphi callidissimi nomen a *συφός*, forma Æolica adjectivi *σοφός*, derivatum esse, post Hainebachium etiam Prellerus[1]) judicat. Sed apparet, sententiam eorum, qui originem nominis *Γῆας* a *γῆ* repetunt, verbis jam commemoratis nullo modo adjuvari. Nam derivata iis, unde derivata sunt, significatione tam similia sunt, ut reduplicatio plerumque quidem intendendi vim habere, sed nonnunquam sonum tantum, non sensum verborum mutare videatur. Igitur *Γῆας* a *γῆ* derivare et synonymum verbi *γηγενής* putare analogia vetat. Restat tertium *ΓΑ*, unde *γαίω*, *γηθέω*, *γάνυμαι*, *γάνος*, *γαῦρος* orta sunt[2]); quorum *γηθέω* et *γάνυμαι* gaudium, *γαίω* gaudium cum superbia mixtum, *γαῦρος* cum derivatis *γαυριάω* et *γαυριόω* superbiam, *γάνος* cum derivatis *γανάω* et *γανόω* modo fulgorem, modo gaudium significant. Hinc originem verbi *Γῆας* repetendam esse, Hainebachius[3]) et post Hainebachium Wieselerus[4]), qui eum fortasse non norat, certe non nominavit, intellexerunt. Duæ res hanc derivationem magnopere commendant. analogia verborum *βιβάς* et *Μίμας*, prorsus simili modo a stirpibus verbalibus BA (*βαίνω*) et *ΜΑ* (*μαιμάω*, *μαιμάκτης*) derivatorum et significatio radicis illius aptissima. Nam sive Gigantes fulgentes vertimus, Hesiodum[5]), qui eos *τεύχεσι λαμπομένους* appellat. testem locupletissimum adhibere licet, sive superbiam nomine eorum expressam esse cum Hainebachio et Wieselero statuimus, hoc cum natura eorum feroci optime congruit. Illorum verborum, quæ simili ratione derivata esse diximus, præcipue *Μίμας*, nomen Gigantis et Centauri, multum valere debet. — In Etymologico Magno[6]) legitur: *παρὰ τὸ*

---

[1]) Griechische Mythologie II. p. 52. — [2]) Curtius Etym. I. p. 142. — [3]) De reduplicatione p. 20. — [4]) Giganten p. 184. — [5]) Theog. 184. — [6]) s. v. *Γῆας*.

γῶ τὸ χωρῶ γίνεται γάς καὶ κατ' ἀναδιπλασιασμὸν γίγας. Quod verbum *γῶ* quia suspectum est (nam fortasse a grammaticis fictum est ad quædam verba Græca explicanda), et quia significatio, quæ affertur, apta non est, derivatio illa spernenda est.

§ 2.

Quia injuria temporum factum est, ut omnia, quæ de Gigantibus ante Apollodorum copiosius scripta erant, perierint, eam rationem in hoc capite sequemur, ut ab Apollodori narratione initium faciamus, deinde antiquiorum testimonia breviora secundum ordinem temporum disponamus, denique hæc et inter se et cum iis, quæ ille tradidit, comparemus. — Expositis breviter deorum historia et stemmate a Cælo usque ad Proserpinam, in hunc modum pergit Apollodorus [1]: *Γῆ δὲ περὶ Τιτάνων ἀγανακτοῦσα γεννᾶ Γίγαντας ἐξ Οὐρανοῦ, μεγέθει μὲν σωμάτων ἀνυπερβλήτους, δυνάμει δὲ ἀκαταγωνίστους, οἳ φοβεροὶ μὲν ταῖς ὄψεσι κατεφαίνοντο, καθειμένοι βαθεῖαν κόμην ἐκ κεφαλῆς καὶ γενείων, εἶχον δὲ τὰς βάσεις φολίδας δρακόντων. ἐγένοντο δὲ, ὡς μέν τινες λέγουσιν, ἐν Φλέγραις, ὡς δὲ ἄλλοι, ἐν Παλλήνῃ. ἠκόντιζον δὲ εἰς οὐρανὸν πέτρας καὶ δρῦς ἡμμένας. διέφερε δὲ πάντων Πορφυρίων καὶ Ἀλκυονεύς, ὃς δὴ καὶ ἀθάνατος ἦν, ἐν ᾗπερ ἐγεννήθη γῇ μαχόμενος. οὗτος δὲ καὶ τὰς Ἡλίου βόας ἐξ Ἐρυθείας ἤλασε. τοῖς δὲ θεοῖς λόγιον ἦν, ὑπὸ θεῶν μὲν μηδένα τῶν Γιγάντων ἀπολέσθαι δύνασθαι, συμμαχοῦντος δὲ θνητοῦ τινὸς τελευτήσειν. αἰσθομένη δὲ Γῆ τοῦτο ἐζήτει φάρμακον, ἵνα μηδ' ὑπὸ θνητοῦ δυνηθῶσιν ἀπολέσθαι. Ζεὺς δὲ ἀπειπὼν φαίνειν Ἠοῖ τε καὶ Σελήνῃ καὶ Ἡλίῳ τὸ μὲν φάρμακον αὐτὸς ἔταμε φθάσας,*

[1]) I. 6. 1. 1. — I. 6. 3. 1.

Ἡρακλέα δὲ σύμμαχον δι' Ἀθηνᾶς ἐπεκαλέσατο. κἀκεῖνος πρῶτον μὲν ἐτόξευεν Ἀλκυονέα· ὁ δὲ ἐπὶ τῆς γῆς μᾶλλον ἀνεθάλπετο. Ἀθηνᾶς δὲ ὑποθεμένης, ἔξω τῆς Παλλήνης εἵλκυσεν αὐτόν. κἀκεῖνος μὲν οὕτως ἐτελεύτα, Πορφυρίων δὲ Ἡρακλεῖ κατὰ μάχην ἐφώρμησε καὶ Ἥρᾳ. Ζεὺς δὲ αὐτῷ πόθον Ἥρας ἐνέβαλεν, ἥτις καὶ καταρρηγνύντος αὐτοῦ τοὺς πέπλους καὶ βιάζεσθαι θέλοντος βοηθοὺς ἐπεκαλεῖτο· καὶ Διὸς κεραυνώσαντος αὐτὸν Ἡρακλῆς τοξεύσας ἀπέκτεινε. τῶν δὲ λοιπῶν Ἀπόλλων μὲν Ἐφιάλτου τὸν ἀριστερὸν ἐτόξευσεν ὀφθαλμόν, Ἡρακλῆς δὲ τὸν δεξιόν· Εὔρυτον δέ θυρσῷ Διόνυσος ἔκτεινε, Κλυτίον δέ, φασιν, Ἑκάτη, μᾶλλον δὲ Ἥφαιστος βαλὼν μύδροις· Ἀθηνᾶ δὲ Ἐγκελάδῳ φεύγοντι Σικελίαν ἐπέρριψε τὴν νῆσον, Πάλλαντος δὲ τὴν δορὰν ἐκτεμοῦσα ταύτῃ κατὰ τὴν μάχην τὸ ἴδιον ἐπέσκεπε σῶμα. Πολυβώτης δὲ διὰ τῆς θαλάσσης διωχθεὶς ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἧκεν εἰς Κῶ. Ποσειδῶν δὲ τῆς νήσου μέρος ἀπορρήξας ἐπέρριψεν αὐτῷ, τὸ λεγόμενον Νίσυρον. Ἑρμῆς δὲ τὴν Ἅιδος κυνέην ἔχων κατὰ τὴν μάχην Ἱππόλυτον ἀπέκτεινεν, Ἄρτεμις δὲ Γρατίωνα, Μοῖραι δὲ Ἄγριον καὶ Θόωνα χαλκέοις ῥοπάλοις μαχόμεναι. τοὺς δὲ ἄλλους κεραυνοῖς Ζεὺς βαλὼν διέφθειρε, πάντας δὲ Ἡρακλῆς ἀπολλυμένους ἐτόξευσεν. ὡς δὲ ἐκράτησαν οἱ θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα κ. τ. ἑ. In rebus Herculis Apollodorus Gigantum bellum, quia jam in historia deorum narratum est, paucis verbis absolvens scribit, post Trojam captam et Con insulam devastatam Herculem a Minerva arcessitum in Phlegram venisse et cum diis Gigantas debellasse [1]). Quos auctores Apollodorus in hac fabula potissimum secutus sit, non dicit; sed constat, eum antiquos et bonos, Hesiodum, Acusilaum, ante omnes Pherecydem

---

[1]) II. 7. 1. 2.

prætulisse, interdum tamen etiam e scriptis recentiorum, Asclepiadæ, Demarati, Apollonii Rhodii, quædam hausisse.

In verbis Apollodori, quæ attulimus, Dianæ adversarii nomen suspectum est; nam *Γρατίων* Græcum non sonat. Itaque viri docti varia tentaverunt, *Αἰγαίωνα*, *Ῥοιτίωνα*, *Ἐλατίωνα* vel *Ἐρατίωνα*, *Κρατιωνα*[1]). Pro *Εὔρυτον δὲ θυρσῷ* Bentleius propter Hor. Od. II. 19. 23 *Ῥοῖτον δὲ θυρσῷ* legere maluit. In verbis *χαλκέοις ῥοπάλοις μαχόμεναι* hæc participii forma pro *μαχομένους* conjecturæ Heynii debetur. Quam etsi Heynius ipse recipere ausus non est et I. Bekkerus neglexit, certissimam putamus; nam duo codices *μαχομένας* habent, et commemoratis armis cæterorum deorum, qui pugnæ participes fuerunt, fere omnium, de Parcarum pugnandi ratione tacere non potuit Apollodorus.

§ 3.

Gigantes in Iliade nusquam, in Odyssea ter commemorantur. In libro septimo[2]) hujus carminis Minerva Ulixi originem regum Phæacum exponens dicit:

Ναυσίθοον μὲν πρῶτα Ποσειδάων ἐνοσίχθων
γείνατο καὶ Περίβοια, γυναικῶν εἶδος ἀρίστη,
ὁπλοτάτη θυγάτηρ μεγαλήτορος Εὐρυμέδοντος,
ὅς ποθ' ὑπερθύμοισι Γιγάντεσσιν βασίλευεν.
ἀλλ' ὁ μὲν ὤλεσε λαὸν ἀτάσθαλον, ὤλετο δ' αὐτός,
τῇ δὲ Ποσειδάων ἐμίγη καὶ ἐγείνατο παῖδα
Ναυσίθοον μεγάθυμον, ὃς ἐν Φαίηξιν ἄνασσεν.

Ex quibus versibus apparet, Homerum Gigantes populum hominum superborum et violentorum Ulixis tempore jampridem exstinctum credidisse. De sedibus eorum nihil dicit;

---

[1]) cfr. Heynii notam et Wieseler. Gigant. p. 142. — [2]) v. 56 sqq.

fortasse eas ad Hyperiam, pristinam terram Phæacum[1]), retulit. Apparet præterea, Gigantum fabulam Homeri æqualibus satis notam fuisse; alioquin interitum eorum et causam ejus narrasset. In eodem libro Odysseæ[2]) Alcinous, postquam deos Phæacum sacrificia manifestos adire narravit, sic pergit:

εἰ δ' ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξύμβληται ὁδίτης,
οὔ τι κατακρύπτουσιν, ἐπεί σφισιν ἐγγύθεν εἰμέν,
ὥσπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

Igitur Gigantes Homerici, ut Phæaces[3]) *ἀγχίθεοι* sunt. Quod verbum, etsi in hymno Homerico in Venerem[4]) aliter usurpatum est (*ἀγχίθεοι δὲ μάλιστα καταθνητῶν ἀνθρώπων αἰεὶ ἀφ' ὑμετέρης γενεῆς εἶδός τε φυήν τε*), Nitschius[5]) recte sine dubio de cognatione illorum populorum cum diis interpretatus est; nam et Plato[6]) *θεῶν ἐγγύς, Ζηνὸς ἐγγύς* hoc modo dixit et Homerus ipse[7]) *σχεδόν* de propinquitate generis usurpavit. Quod vero Schœmannus[8]) suspicatur, originem, quæ ab Hesiodo Gigantibus tribuitur, etiam Homero notam fuisse, propter discrepantiam theogoniæ Homericæ ab Hesiodea valde dubium est. In libro decimo Odysseæ[9]) Læstrygones sic cum Gigantibus comparantur:

οἱ δ' αἰὲν ἰόντες
φοίτων ἴφθιμοι Λαιστρυγόνες ἄλλοθεν ἄλλος,
μυρίοι, οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες, ἀλλὰ Γίγασιν.

Qua comparatione discimus, Gigantes ingenti statura fuisse. Nam regina Læstrygonum montis cacumini confertur, et Læstrygones *ἀνδραχθέσι χερμαδίοισι* naves Ulixis confregisse narrantur.

In altero procemio theogoniæ Hesiodeæ[10]) Musæ in

---

[1]) Od. VI. 4. — [2]) v. 204 sqq. — [3]) ib. V. 35, XIX. 279. — [4]) v. 200 — [5]) ad. Od. V 35. — [6]) Rep. III. 388 B, 391 E. — [7]) Od. X. 441. — [8]) Opusc. II. p. 41. — [9]) v. 118 sqq. — [10]) v. 44 sqq.

cœtu deorum primum deos inde a Cælo et Tellure, deinde Jovem,

αὖτις δ' ἀνθρώπων τε γένος κρατερῶν τε Γιγάντων

canere dicuntur. Auctorem hujus proœmii Gigantes generis humani procreatores credidisse, non est, cur cum G. Hermanno[1]) et aliis statuamus. Nam etiam ea de causa, quod terram habitaverunt, Gigantes cum hominibus conjuncti cælestibus numinibus contrarii poni possunt. Majoris momenti est locus ille Theogoniæ[2]), ubi narrato facinore a Saturno in Cælum perpetrato poeta sic pergit:

ὅσσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ἀπέσσυθεν αἱματόεσσαι,
πάσας δέξατο Γαῖα· περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν
γείνατ' Ἐρινῦς τε κρατερὰς μεγάλους τε Γίγαντας,
τεύχεσι λαμπομένους, δολίχ' ἔγχεα χερσὶν ἔχοντας,
Νύμφας θ' ἃς Μελίας καλέουσ' ἐπ' ἀπείρονα Γαῖαν.

Prellerus[3]) putat, dæmones ultores, deos feræ violentiæ, facinoris sanguinarii consulto hic conjunctos esse. Sed neque Meliæ usquam deæ cædis sunt, et in versibus sequentibus Veneris ortus ab eodem Saturni scelere repetitur. Itaque cum Schœmanno[4]) arbitramur, fabulas physicas ethicæ illi de pœna una cum scelere orta adjunctas esse ab auctore Theogoniæ. De integritate loci citati suspicionem movit Mützellius[5]) propter locum Gregorii Nazianzeni[6]), ubi, quæ Hesiodus in Theogonia de bellis et prœliis, de Titanibus, de Gigantibus, de Cotto, Briareo, Gyge, Encelado, diis serpentipedibus, de insulis iis injectis narraverit, quasi absurda deridentur. Verum Schœmannus, qui in dissertatione de

---

[1]) Opusc. II. p. 177. — [2]) v. 183 sqq. — [3]) Griechische Mythologie I. p. 43. — [4]) Opusc. II. p. 125 sqq. — [5]) De emendatione Theogoniæ Hesiodi p. 418. — [6]) or. III. adv. Julian. p. 103 D. ed. Bill.

falsis indiciis lacunarum Theogoniæ cæteras suspiciones Mützellii egregie refutavit, etiam de nostro loco verissime statuit[1]. Gregorio nihil præter confusam quandam memoriam rerum a poetis passim narratarum obversatam esse; quarum quum singulos auctores nominare nihil attineret, vetustissimum et maxime nobilem pro omnibus positum esse. Argumento Mützellii levissimo levius est, quod Wieselerus excogitavit[2], propterea quod Johannes Tzetzes in Theogonia versibus politicis scripta, quam I. Bekkerus edidit, nomina Gigantum quatuor et triginta affert[3], verba Hesiodi lacunosa esse. Nam quamquam Tzetzes in Theogonia sua Hesiodum præcipue secutus est, neminem, qui illud carmen perlegerit, fugiet, non pauca aliunde sumpta Hesiodeis inserta esse; quin Tzetzes ipse tribus versibus ante, ubi de Telchinibus narrat, Bacchylidem citat. — Titanum cum diis bellum Tzetzes Hesiodi modo narrat[4]: decem annos dubio eventu pugnatum esse; tum Jovem, hortante Tellure, Centimanos sibi adjunxisse. Deinde pergit:

καὶ συναράξας πόλεμον μετὰ μεγάλου κρότου
τροποῦται καὶ τοὺς Γίγαντας, τροποῦται καὶ Τιτᾶνας.

Propter hos versus, quibus Gigantes Titanibus socii adjungi videntur, Wieselerus[5]) narrationem Hesiodi de Titanum bello ita intelligendam esse censet, ut Titanes et Gigantes conjuncti, illi duces, hi milites, fuerint. Etiam hæc opinio refellitur iis, quæ de fontibus Tzetzæ diximus; neque Wieselerus eam probabiliorem reddidit iis, quæ de versu Hesiodi 676: *Τιτῆνες δ' ἑτέρωθεν ἐκαρτύναντο φάλαγγας* disputavit, verbum *φάλαγγας* totum exercitum significare, neque de solis Titanibus dici potuisse. Nam etsi concedendum est,

---

[1]) Opusc. II. p. 401. — [2]) Gigant. p. 168. — [3]) v. 87 sqq. — [4]) v. 261 sqq. — [5]) Gigant. p. 168.

illam vocem durius et contra consuetudinem cæterorum scriptorum usurpatam esse, in poemate neque eleganti neque concinno hoc magnopere offendere non debet.

In carminibus Hesiodeis nunc deperditis Gigantum mentionem factam fuisse, Lobeckius [1]) et Wieselerus [2]) e verbis Scholiastæ [3]) ad locum Gregorii supra commemoratum collegerunt. Scholiastes scribit: *Οὗτος* (Hesiodus) *ἐκ τῶν Μουσῶν ἐμπνευσθῆναι λέγεται· τρία δέ τούτου ποιήματα πράττεται, Θεογονία, Ἔργα, Ἡμέραι. Ἐν τῇ οὖν Θεογονίᾳ καταριθμεῖται τὰς τῶν θεῶν γενέσεις ἐν ἀρχῇ θέμενος Ἔρεβος καὶ Χάος· ὅθεν Οὐρανὸν καὶ Γῆν· ὅθεν Κρόνον, Δία, Ποσειδῶνα, Ἅιδην καὶ σειρὰς θεῶν· ὅθεν Κόττον, Βριαρέωνα, τοὺς ἑκατόγχειρας· ὅθεν τὴν Γιγαντομαχίαν καὶ τὰ ἐκ τῶν αἱμάτων αὐτῶν ἰοβόλα θηρία, τὴν Ὕδραν, ἣν Ἡρακλῆς περὶ τὴν Λέρναν ἀπέκτεινεν, τὴν Χίμαιραν, ἣν ἀνεῖλε Βελλεροφόντης, τὴν Γοργόνην, ἣν ὁ Περσεὺς ἐκαρατόμησε, καὶ μυρία ἐμπαιγμῶν καὶ γέλωτος ἄξια, καὶ τὸν Τρικέρβερον κύνα, ὃν Ἡρακλῆς περὶ τὰς πύλας ἀπέκτεινε τοῦ Ἅιδου κατελθὼν συναρπάσαι τῷ Πειριθόῳ τὴν Περσεφόνην.* Apparet, Scholiasten, a Gregorio in errorem inductum, Titanes et Gigantes confudisse et oblitum esse, monstra illa apud Hesiodum Phorcynis et Cetus, Typhoei et Echidnæ progeniem esse; cætera, quæ narrat, si errorem de Cerbero interfecto excipias, cum Theogonia Hesiodi fere congruere. Itaque Lobeckius, vir egregius, de carminibus olim Theogoniæ subjunctis non recte cogitat. Huc accedit, quod Scholiastes ea tantum carmina, quæ nos quoque habemus,

---

[1]) Aglaoph. p. 567 [h]. — [2]) Gigant. p. 141. — [3]) quem Gaisfordius in Catalogo manuscriptorum, qui a Clarkio comparati in Bibliotheca Bodlejana adservantur [Oxonii 1812 4°] edidit. v. p. 46.

suo tempore in manibus fuisse affirmat. Alterum Scholiasten Gregorii [1]), qui in nonnullis ab illo dissentit (Titanes et Gigantes distinguit, Gigantes serpentipedes in Theogonia Hesiodi commemorari contendit), pleraque illius modo, sed copiosius exponit, eodem modo ant invitum in errorem inductum esse aut eo, quod sanctum patrem ecclesiæ negligentiæ et erroris accusare non ausus est, mentiri coactum esse, certissimum nobis videtur. — Restat locus ex Scholiis in Iliadem Leydensibus ineditis a Valckenario in Opusculis [2]) allatus, unde Wieselerus et alii, Gigantum bellum ab Hesiodo narratum esse, collegerunt. Scribit Scholiastes [3]): *Ἱστορία. Οἱ περὶ Κρόνον Οὐρανοῦ παῖδες ἀρχαῖοι Τιτᾶνες τοῖς ἀμφὶ τὸν Δία νεωτέροις θεοῖς πόλεμον ἤραντο, καὶ τοῦτο πράττειν δι' ἐπιβουλῆς ἐγνώκασι, καὶ δηλοῦσι τοῦτο Διὰ καὶ ἀξιοῦσιν αὐτοῖς συγκροτῆσαι τῷ τοῦ πολέμου καιρῷ καὶ τιμῆσαι τὴν Στύγα καὶ τὸ τῆς Στυγὸς ὕδωρ ὅρκον θεῶν ποιῆσαι. ἡ ἱστορία παρὰ Ἡσιόδῳ καὶ Θεογόνῳ.* Quæ verba non modo mendosa, ut Valckenarius dicit, sed etiam lacunosa esse, facile intelligitur. Nam qui sunt illi, qui Titanum insidias Jovi produnt? Verisimile est, mentionem Stygis liberorum excidisse, alia depravata esse, veram formam narrationis eam esse, quam Hesiodus Theog. 383 sqq. habet. Itaque Mützellius *παρὰ Ἡσιόδῳ ἐν Θεογονίᾳ* recte correxisse videtur. Sed utcunque se res habet, id quidem certum est, de Gigantum bello illum locum non esse. Nihilo minus hic error late serpsit [4]).

---

[1]) quem Montacutius cum duabus Gregorii in Julianum invectivis Etonæ 1610 edidit. v. p. 153. — [2]) II. p. 127. — [3]) ad Il. XIX. 127. — [4]) C. Müller Fragm. Hist. Græc. II. p. 12, Schœmann. Opusc. II. p. 140 annot. 23, Preller. Gr. Myth. I. p. 57 annot. 3.

Nescimus igitur, num Hesiodus plura quam illos paucos versus, quos e Theogonia attulimus, de Gigantibus scripserit. De cæteris poetis epicis antiquioribus fere in eadem ignorantia versamur. Etsi admodum verisimile est, qui pæne totam mythologiam complexi sunt, etiam illam fabulam narrasse, testimonia tamen, de quibus dubitari non possit, desunt. Nam verba Herennii Philonis[1]) de Hesiodi et Cyclicorum Theogoniis, Gigantomachiis, Titanomachiis tam universe de omni historia deorum ab antiquioribus scriptoribus tradita dicta sunt, ut in illa quæstione nullius momenti sint, et Scholiasten Apollonii Rhodii[2]), ubi scribit: *Ὁ δὲ τὴν Γιγαντομαχίαν ποήσας φησίν, ὅτι ὁ Κρόνος μεταμορφωθεὶς εἰς ἵππον συνεγένετο Φιλύρᾳ τῇ Ὠκεανοῦ καὶ διὰ τοῦτο γέγονεν ὁ Χείρων ἱπποκένταυρος*, frequenti Scholiastarum errore Gigantes et Titanes confudisse, viri docti, quos enumerat Wieselerus[3]), suspicati sunt. Quam suspicionem commendat, quod carmen antiquius illius tituli nusquam alibi, Titanomachia autem incerti auctoris sæpius commemoratur[4]), et quod scimus, in hac Chironis mentionem factam esse[5]); neque magnopere obest, quod in iisdem Scholiis, in quibus Gigantomachia tamquam carmen incerti auctoris citatur, postea Titanomachia Eumelo tribuitur[6]). Neque enim Scholia e commentariis unius viri collecta sunt. — Multo incertior

---

[1]) ap. Euseb. Præp. evang. I. 10 p. 39 Viger, cfr. Welcker. D. ep. Cycl. I. 95. — [2]) ad. I. 554. — [3]) Gigant. p. 141 annot. 1. — [4]) *ὁ τὴν Τιτανομαχίαν γράψας* Schol. Il. XXIII. 285, Clem. Al. Strom. I. 15. 73, Cram. Anecd. Oxon. I. p. 75. *ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος ἢ Ἀρκτῖνος ἢ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος* Athen. VII. p. 277 D. — [5]) Clem Al. l. c. — [6]) ad. I. 1165.

est suspicio I. H. Vossii [1]), versum, quem sine poetæ nomine affert Scholiastes Pindari Nem. III. 38:

Στῆλαι τ' Αἰγαίωνος ἀλὸς μεδέοντι Γίγαντος

ad Titanomachiam illam referendum esse. Neque enim quemquam ante Callimachum [2]) Ægæonem Gigantem appellasse, constat.

In hymnis, qui Homerici feruntur, Gigantes non commemorari, non est, cur miremur; nam plerique brevissimi sunt, et pauci, qui longiores sunt, deos in bello Gigantum aut nullam aut non magnam laudem adeptos celebrant. In Batrachomyomachia autem et initio [3]) poeta se narraturum esse dicit:

πῶς μύες ἐν βατράχοισεν ἀριστεύσαντες ἔβησαν,
γηγενέων ἀνδρῶν μιμούμενοι ἔργα Γιγάντων,

et murium et ranarum copias cum Centauris et Gigantibus comparat [4]):

οἷος Κενταύρων στρατὸς ἔρχεται ἠδὲ Γιγάντων

et Junonem ranarum victarum misericordia permotam Jovem sic alloquentem inducit [5]):

ἀλλ' ἄγε πάντες ἴωμεν ἀρηγόνες ἢ τὸ σὸν ὅπλον
κινείσθω μέγα Τιτανοκτόνον ὀβριμοεργόν,
ᾧ ποτε καὶ Καπανῆα κατέκτανες ὄβριμον ἄνδρα
καὶ μέγαν Ἐγκέλαδον καὶ ἄγρια φῦλα Γιγάντων.

Si Batrachomyomachia Pigreti, Artemisiæ majoris fratri, a Plutarcho jure tribuitur, aut hic aut in locis Pindari, de quibus mox dicendum est, vetustissimum testimonium de Gigantum cum diis pugna servatum est.

---

[1]) v. Welcker. D. ep. Cycl. II p. 413. — [2]) Hymn. in Del. 142. — [3]) v. 6—7. — [4]) v. 171. — [5]) v. 280 sqq.

§ 4.

In cladibus tristissimis litterarum Græcarum numerandum est, quod omnis fere poesis lyrica antiquior periit. Etiam ad nostram fabulam penitus cognoscendam maximo sine dubio usui essent, ut exempla pauca nominemus, hymnus Alcmanis in Jovem Lycæum, Alcæi in Minervam, Pindari in Jovem, Phrynichi in Minervam. Sed egregiis illis præsidiis iniquo fato privati e carminibus lyricorum, qui ante Pindarum vixerunt, unum tantum locum de Gigantibus afferre possumus. Xenophanes in nobilissima elegia de convivio ab Athenæo[1]) servata eum virum laude dignum judicat, qui spretis fabulis fictis antiquiorum recte facta in convivio referat et de virtute agat. Xenophanis verba hæc sunt:

ἀνδρῶν δ᾽ αἰνεῖν (sc. *χρὴ*) *τοῦτον, ὃς ἐσθλὰ πιὼν ἀναφαίνει,*
ὥς οἱ μνημοσύνη, καὶ τὸν, ὃς ἀμφ᾽ ἀρετῆς,
οὔτι μάχας διέπει Τιτήνων οὐδὲ Γιγάντων,
οὐδὲ τὰ Κενταύρων, πλάσματα τῶν προτέρων,
ἢ στάσιας σφεδανάς· τοῖς οὐδὲν χρηστὸν ἔνεστιν·
θεῶν δὲ προμηθείην αἰὲν ἔχειν ἀγαθόν.

Xenophanem fabulis vulgaribus Græcorum inimicum fuisse, satis constat; utrum scolia mythici argumenti decantata an carmina epica recitata hic significet, dijudicari non potest.

Multo majoris momenti sunt testimonia de Gigantum fabula, quæ epiniciis Pindari continentur. Initio carminis Pythici octavi tranquillitatem sive temperantiam (*τὴν ἡσυχίαν*) tamquam deam magnam erga moderatos benignam, superbos vero frangentem invocat. Cujus potentia demonstratur his versibus[2]):

---

[1]) XII. 462 C. — [2]) v. 12 sqq.

τὰν οὐδὲ Πορφυρίων μάθεν
παρ' αἶσαν ἐξερεθίζων. κέρδος δὲ φίλτατον,
ἑκόντος εἴ τις ἐκ δόμων φέροι.
βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ.
Τυφὼς Κίλιξ ἑκατόγκρανος οὔ μιν ἄλυξεν,
οὐδὲ μὰν βασιλεὺς Γιγάντων· δμᾶθεν δὲ κεραυνῷ
τόξοισί τ' Ἀπόλλωνος.

Pindarum de duobus deorum pugnis, altera contra Gigantes, altera contra Typhoeum, dicere neque recentiorum more hunc illis annumerare, Dissenii [1]) causa scribentis, Typhoeum additum esse ut unum e ferocissimis et maximis, commemoro. Num Porphyrio idem esset, qui paulo post Gigantum rex appellaretur, Welckerus [2]) dubitare non debuit; neque enim Pindarus ullo modo prius aliquem e vulgo Gigantum turbas moventem, deinde regem pœnas subeuntem commemorare potuit. Scholiastes Pindari vult, Porphyrionis cæsi gloriam totam Apollinis fuisse, Typhoeum a Jove solo superatum esse. Hoc certum putamus propter cætera testimonia, de illo dubitari potest. Nam verba Pindari ambigua sunt, et apud Apollodorum Porphyrionem et fulmine et Herculis sagittis confici vidimus, et potuit sane heros sagittis armatus, præsertim in Heraclea aliqua, locum dei arcitenentis occupare. — In carmine Nemeo primo (v. 64 sqq.) Tiresias gloriam futuram Herculis infantis prædicens pugnam cum Gigantibus tamquam maximam laudem ejus extollit:

καί τινα σὺν πλαγίῳ
ἀνδρῶν κόρῳ στείχοντα τὸν ἐχθρότατον
φᾶσέ νιν δώσειν μόρῳ.
καὶ γὰρ ὅταν θεοὶ ἐν πεδίῳ Φλέγρας Γιγάντεσσι μάχαν

[1]) Pindari Carmina Vol. II p. 305. — [2]) Griechische Götterlehre I p. 793 annot. 18.

ἀντιάζωσιν, βελέων ὑπὸ ῥιπαῖσι κείνου φαιδίμαν
γαίᾳ πεφύρσεσθαι κόμαν ἔνεπεν.

Hic primum de loco pugnæ audimus. Ultimum versum sic interpretatus est Scholiastes: *τὴν κόμην αὐτῆς τὴν φαιδίμην συμφυρήσεσθαι τῇ Γῇ συμβήσεται.* Imaginem igitur Telluris filios lugentis Pindarum expressisse, putat. Quæ interpretatio, a recentissimis editoribus, Bergkio (saltem in editione priore, ubi *γαίας* scribit) et Schneidewino [1]), probata, ferri non potest; nam *ὑπό* cum dativo de causa proxima, non de remotiore usurpatur. Atqui sagittæ Herculis mortem Gigantum, hæc dolorem matris, hic demum, ut crinem fœdet, efficit. Verbum *φύρειν* etiam de rebus non humidis maculantibus et verbum *γῆ* de pulvere usurpari, satis constat. Verba *φαιδίμαν κόμαν* eodem modo dicta sunt atque si *τινός* additum esset. — Etiam in carmine Nemeo septimo (v. 90 sqq.) Pindarus Herculem domitorem Gigantum appellat:

ἐν τίν κ' ἐθέλοι, Γίγαντας ὃς ἐδάμασας, εὐτυχῶς
ναίειν — Σωγένης — — ζαθέαν ἀγυιάν.

Sequuntur duo loci de Alcyoneo ab Hercule et Telamone interfecto, alter Nem. IV. 25 sqq:

σὺν ᾧ ποτε Τρωΐαν κραταιὸς Τελαμὼν
πόρθησε καὶ Μέροπας
καὶ τὸν μέγαν πολεμιστὰν ἔκπαγλον Ἀλκυονῆ,
οὐ τετραορίας γε πρὶν δυώδεκα πέτρῳ
ἥρωάς τ' ἐπεμβεβαῶτας ἱπποδάμους ἕλεν
δὶς τόσους,

alter simillimus Isth. V. 31 sqq.

εἷλε δὲ Περγαμίαν, πέφνεν δὲ σὺν κείνῳ Μερόπων
ἔθνεα καὶ τὸν βουβόταν οὔρει ἴσον

---

[1]) in altera editione Pindari Dissenii Vol. I. p. 177.

Φλεγραισιν εὑρὼν Ἀλκυονῆ, σφετέρας δ' οὐ φείσατο
χερσὶν βαρυφθόγγοιο νευρᾶς Ἡρακλέης.

Carmina, e quibus hi loci sumpti sunt, ambo in laudibus Æginetarum versantur. Igitur colligere licet, pugnam Phlegræam hic commemoratam ab ea diversam esse, in qua Hercules diis contra Gigantes auxilium tulit; neque enim Pindarus prætermisisset, Telamonem deorum socium fuisse. Eadem de causa improbanda est narratio Scholiastæ ad locum priorem, Herculem ab Erythia, Geryonis insula, redeuntem cum Alcyoneo conflixisse; neque enim de tam præclara expeditione poeta tacuisset. Verbum *βουβόταν* explicatur eo, quod Apollodorus narrat, Alcyoneum Solis boves abegisse, et sic etiam Scholiastes Isthmii carminis scribit: *βουβόταν δὲ τὸν βουκόλον φησί, παρ' οὗ* (lege *παρ' ὃ*) *τὰς Ἡλίου βοῦς ἀπήλασε.* Idem isthmum Thracium (Pallenes) pugnæ locum fuisse, narrat, quod rectius videtur [1]) quam, quod Scholiastes carminis Nemei habet, Alcyoneum in isthmo Corinthico interfectum esse. Neque enim quod Wieselerus [2]) ad hanc narrationem commendandam affert, isthmum Corinthicum mari Alcyonio allui, magni momenti est. Scholiastes carminis Nemei addit post illos quatuor et viginti viros necatos Alcyoneum lapidem maximum in ipsum Herculem conjecisse; Herculem tam dextre clava usum esse, ut lapis repercussus Gigantem opprimeret; lapidem vero postea in isthmo monstrari. Propter locum Plinii [3]), ubi Halcyone mons aut Pallenes aut Macedoniæ adjacentis commemoratur, O. Jahnius [4]) Alcyoneum illo ipso monte pugnasse creditum

---

[1]) Bœckh. Præf. p. XXIX. — [2]) Gigant. p. 172. — [3]) Hist. nat. IV. 10. 17. 36. — [4]) Berichte d. sächsischen Gesellschaft d. Wissenschaften 1853 p. 136.

esse suspicatur. Sed neque codices Pliniani optimi „Halcyone“ habent, verum „Algion“, et Pindarus Scholiastesque de lapide ingenti, non de monte loquuntur. Alcyoneus etiam in fragmento ab Hippolyto servato [1]), quod Pindaro recte, ut videtur, tribuitur, inter mortales, quos terra primos edidit, commemoratur. Codex habet:

χαλεπὸν δέ φησιν ἐξευρεῖν εἴτε — Ἀλαλκομενεὺς
— — ἀνέσχε πρῶτος ἀνθρώπων, εἴτε — — — — εἴτε
Φελλήνη Φλεγραῖον Ἀλκυονέα πρεσβύτατον Γιγάντων

sc. *ἐτέκνωσε. Φελλήνη* Schneidewinus in *Φαλλάνα*, G. Hermannus, qui etiam *θρασυγυίων* ante *Γιγάντων* addit, in *Παλλάνα*, Bergkius in *Πελλάνα* correxerunt. Sed utcunque singula verba constituenda sunt, quod Alcyoneus *πρεσβύτατος Γιγάντων* appellatur, cum illo loco carminis Pythii octavi de Porphyrione rege Gigantum pugnare videtur. Verum nihil obstat, quominus Pindarum e formis discrepantibus fabularum præcipue in rebus minutioribus non semper easdem secutum esse censeamus.

§ 5.

Tragicorum Æschylus et Sophocles pauca tantum de Gigantibus habent. In Eumenidibus Æschyli [2]) Orestes, ut Minerva, quæ abest, sibi auxilio veniat, his verbis optat:

ἀλλ' εἴτε χώρας ἐν τόποις Λιβυστικῆς
Τρίτωνος ἀμφὶ χεῦμα γενεθλίου πόρου
τίθησιν ὀρθὸν ἢ κατηρεφῆ πόδα,
φίλοις ἀρήγουσ', εἴτε Φλεγραίαν πλάκα
θρασὺς ταγοῦχος ὡς ἀνὴρ ἐπισκοπεῖ, ἔλθοι.

---

[1]) v. Schneidewin in Philologo I. p. 421 sqq. — [2]) v. 292 sqq.

Apparet, incolas Phlegræ hic ut populum nondum exstinctum, deæ invisum commemorari. Quod narrationi vulgari repugnat; Orestes enim multis annis post Herculem, qui una cum diis Gigantes delevit, vixit. Sed poetas in fabulis ordinem temporum non semper servasse, satis constat. — In Septem contra Thebas [1]) Capaneus a nuntio, qui hostium duces describit,

Γίγας δδ' ἄλλος τοῦ πάρος λελεγμένου μείζων

appellatur (antea nominatus est Tydeus). *Γίγας* hic hominem ferocem, viribus suis magis quam deorum auxilio fretum significare, e cuncta narratione nuntii facile colligitur. Simili modo in Agamemnone [2]), ubi de Helena dicitur:

ἔπλευσε ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ,

violentia zephyri significari videtur, et, quod in Etymologico Magno [3]) atque in Bekkeri Anecdotis [4]) legitur: *Γίγαντος μεγάλου, ἰσχυροῦ,* propter genitivum ex annotatione aliqua in hunc locum scripta fluxisse suspicamur. Longe aliam interpretationem proposuit Wieselerus [5]), zephyrum ab Æschylo verum Gigantem habitum esse; Gigantes enim, ut multa alia, sic etiam procellas significare. De re universa postea videbimus; hic satis erit annotare, locum similem Euryti lyrici, quem Wieselerus apud Laurentium Lydum [6]) invenit: *Ἔρωτι, ὃν οἱ μυθικοὶ Ζεφύρου Γίγαντος εἶναι παῖδα ἀξιοῦσιν, ὥς φησιν Εὔρυτος ὁ Λακωνικὸς μελοποιός, ἄρχεται δὲ οὕτως· ἀγαλματοειδὲς Ἔρως,* admodum incertum esse. Nam verborum *Ζεφύρου Γίγαντος* codex Caseolinus paucas tantum litteras habet (*ζ .....γα . τος*), cæteras Hasius supplevit; deinde Eurytus nusquam alibi commemoratur (Bergkius eum

---

[1]) v. 424. — [2]) v. 692. — [3]) s. v. *Γίγαντος.* — [4]) I. p. 232. — [5]) Gigant. p. 183. — [6]) De Mens. p. 117 Bekker.

prorsus omisit), ut de tempore ejus nihil omnino sciamus; denique Eurytus quoque Zephyrum metaphorice Gigantem appellare potuit.

Apud Sophoclem in Trachiniis [1]) Hercules se mulieris dolo perire sic queritur:

κοὐ ταῦτα λόγχη πεδιὰς οὔθ' ὁ γηγενὴς
στρατὸς Γιγάντων οὔτε θήρειος βία
οὔθ' Ἑλλὰς οὔτ' ἄγλωσσος οὔθ' ὅσην ἐγὼ
γαῖαν καθαίρων ἱκόμην, ἔδρασέ πω.

Verba *θήρειος βία* de Centauris, *λόγχη πεδιάς* de exercitibus hastis armatis dicta videntur. Colligas fortasse ex hoc loco, Gigantes saxis et arboribus armatos Sophoclis animo obversatos esse; nam hasta sic tantum; si hominum propria est, ad homines significandos usurpari posse videtur. — In fragmento Ægei Sophoclis a Strabone [2]) servato Ægeus Pandionem terras suas quatuor filiis sic divisisse narrat:

ἐμοὶ μὲν ὥρισεν πατὴρ
ἀκτὰς ἀπελθεῖν τῆςδε γῆς ...
πρεσβεῖα νείμας· εἶτα ... Λύκῳ
τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμει·
Νίσῳ δὲ τὴν ὅμαυλον ἐξαιρεῖ χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς· τῆς δὲ γῆς τὸ πρὸς νότον
ὁ σκληρὸς οὗτος καὶ Γίγαντας ἐκτρέφων
εἴληχε Πάλλας.

Pallantem cum quinquaginta filiis Ægeo, quem ut orbum senem contemnerent, insidias struxisse et post adventum Thesei apertum bellum movisse, Plutarchus [3]) scribit. Apparet igitur, verbum *Γίγας* hic non aliter accipiendum esse

---

[1]) v. 1058. — [2]) IX. p. 392, fragm. 19 apud Nauckium. — [3]) Thes. 3 et 13.

atque in Æschyli Septem contra Thebas, ubi de Tydeo et Capaneo usurpatum est. Quæ in verbis Sophoclis latere, C. O. Müllerus arbitratus sit, postea, quum ad fabulas singularum urbium et regionum Græcarum venerimus, videbimus.

Euripides Gigantes sæpius commemorat. In Bacchis [1]) Pentheus a choro cum Gigante comparatur:

Πενθεύς, ὃν Ἐχίων ἐφύτευσε χθόνιος, ἀγριωπὸν
τέρας, οὐ φῶτα βρότειον, φόνιον δ' ὥστε Γίγαντ' ἀντίπαλον θεοῖς,

et in Phœnissis [2]) Antigona de Hippomedonte:

ἔ ἔ ὡς γαῦρος, ὡς φοβερὸς εἰσιδεῖν, Γίγαντι γηγενέτᾳ
προσόμοιος, ἀστερωπὸς ἐν γραφαῖσιν, οὐχὶ πρόσφορος ἁμερίῳ γέννᾳ,

ubi verba *ἀστερωπὸς ἐν γραφαῖσιν* de stellis in clipeo Hippomedontis dicta esse videntur. In eadem tragœdia [3]) nuntius de clipeo Capanei narrat:

σιδηρονώτοις δ' ἀσπίδος τύποις ἐπῆν
Γίγας ἐπ' ὤμοις γηγενὴς ὅλην πόλιν
φέρων μοχλοῖσιν ἐξανασπάσας βάθρων,
ὑπόνοιαν ἡμῖν, οἷα πείσεται πόλις.

Hercules Gigantum victor in fabula, quæ Hercules furens inscribitur, ter commemoratur. Amphitryo enim, ubi virtutem filii contra Lycum regem defendit, ante omnia testatur [4])

Διὸς κεραυνὸν - - τέθριππά τε
ἐν οἷς βεβηκὼς τοῖσι γῆς βλαστήμασι
Γίγασι, πλευροῖς πτήν' ἐναρμόσας βέλη,
τὸν καλλίνικον μετὰ θεῶν ἐκώμασεν,

---

[1]) v. 540 sqq. — [2]) v. 128 sqq. — [3]) v. 1130 sqq. — [4]) v. 177 sqq.

deinde Centauros, quos etiam Xenophanem et Sophoclem Gigantibus adjungere vidimus. Ab eodem Amphitryone Hercules postea appellatur [1])

ἐμὸς γόνος ὁ πολύπονος, ὃς ἐπὶ δόρυ Γιγαντοφόνον
ἦλθεν σὺν θεοῖσι Φλεγραῖον εἰς πεδὸν ἀσπιστάς.

Paulo post Hercules ipse de ingentibus laboribus suis querens [2]):

ποίους ποτ' ἢ λέοντας ἢ τρισωμάτους
Τυφῶνας ἢ Γίγαντας ἢ τετρασκελῆ
Κενταυροπληθῆ πόλεμον οὐκ ἐξήνυσα;

Verbum *Τυφῶνας* Elmsleyo tantum offensionis habere visum est, ut *Γηρυόνας* scripserit. Sed triplex Geryon cum exaggeratione Typhon appellari optime potuit. Welckerus [3]) et Wieselerus [4]) ipsum illum Jovis adversarium significari, vix recte putaverunt; neque enim ante Lycophronis tempora ullum testimonium de Typhone Gigantum socio occurrit. — In eadem tragœdia chorus Herculem suos occidentem sic alloquens [5]):

μελάθρων τάραγμα ταρτάριον, ὡς ἐπ' Ἐγκελάδῳ
ποτὲ Παλλὰς εἰς δόμους πέμπεις,

Minervæ cæsi Enceladi gloriam tribuit; quam Silenus vana gloriatione sibi arrogat in Cyclope [6]):

ὅτ' ἀμφὶ γηγενῆ μάχην δορὸς
ἐνδέξιος σῷ ποδὶ παρασπιστὴς γεγὼς
Ἐγκέλαδον ἰτέαν μέσην θένων δορὶ ἔκτεινα.

Quia Bacchum alloquitur, apparet, jam Euripidis tempore illum deum victoriæ Phlegrææ participem creditum esse. — Idem discimus loco Ionis [7]), ubi mulieres Athenienses templum Delphicum admirantes sic colloquuntur:

---

[1]) v. 1192 sqq. — [2]) v. 1271 sqq. — [3]) Griechische Götterlehre I. p. 793. — [4]) Giganten p. 151. — [5]) v. 907 sqq. — [6]) v. 5 sqq. — [7]) v. 206 sqq.

σκέψαι κλόνον ἐν τείχεσι λαΐνοισι Γιγάντων.
ὧδε δερκόμεθ', ὦ φίλαι.
λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγκελάδῳ γοργῶπιν πάλλουσαν ἴτυν;
λεύσσω Παλλάδ' ἐμὰν θεόν·
τί γάρ, κεραυνὸν ἀμφίπυρον ὄβριμον ἐν Διὸς
ἐκηβόλοισι χερσίν;
ὁρῶ τὸν δάϊον Μίμαντα πυρὶ καταιθαλοῦ.
καὶ Βρόμιος ἄλλον ἀπολέμοισι κισσίνοισι βάκτροις
ἐναίρει Γᾶς τέκνων ὁ Βακχεύς.

De nonnullis verbis hujus loci corruptis, quia ipsam fabulam non attingunt, dicere supersedebimus; etiam de parte templi illis deorum et Gigantum imaginibus ornata quærere hac de Gigantibus disputatione alienum judicamus. — In eadem tragœdia est narratio aliunde non nota de Gorgone in ipsa deorum et Gigantum pugna a Minerva occisa. Creusa enim, quæ Ionem veneno tollere vult, se guttam mortiferam Gorgonei sanguinis habere servo narrans ita incipit [1]):

οἶσθα γηγενῆ μάχην;
S. *οἶδ' ἣν Φλέγρᾳ Γίγαντες ἔστησαν θεοῖς.*
C. *ἐνταῦθα Γοργόν' ἔτεκε Γῆ δεινὸν τέρας.*
S. *ἦ παισὶν αὐτῆς σύμμαχον, θεῶν πόνον;*
C. *ναί· καί νιν ἔκτειν' ἡ Διὸς Παλλὰς θεά.*
S. *ποῖόν τι μορφῆς σχῆμ' ἔχουσαν ἀγρίας;*
C. *θώρακ' ἐχίδνης περιβόλοις ὡπλισμένον.*
S. *ἆρ' οὗτος ἐσθ' ὁ μῦθος, ὃν κλύω πάλαι;*
O. *ταύτης Ἀθάναν δέρος ἐπὶ στέρνοις ἔχειν.*
S. *ἣν αἰγίδ' ὀνομάζουσι, Παλλάδος στολήν;*
C. *τόδ' ἔσχεν ὄνομα, θεῶν ὅτ' ἦλθεν εἰς δόρυ.*

Similia tamen sunt, quæ Diodorus narrat [2]), Minervam Ægida,

---

[1]) v. 987 sqq. — [2]) III. 70.

monstrum ignivomum Terra natum, in Libya occidisse; pellem ejus postea deæ thoracem esse; Terram hac ira commotam Gigantes contra deos peperisse. — Denique quem locum in curru Jovis Herculem tenentem nuper vidimus, eundem in Ione Creusa Minervæ tribuit [1]):

μὰ τὴν παρασπίζουσαν ἅρμασίν ποτε
Νίκην Ἀθάναν Ζηνὶ γηγενεῖς ἔπι.

Poetas comicos, adversus deos non nimis verecundos, ne Gigantum quidem fabulam neglexisse, facile intelligitur, neque testimonia desunt. Nam et Cratinum juniorem, comœdiæ mediæ poetam. fabulam Gigantes inscriptam docuisse, auctore Athenæo, qui hoc fragmentum servavit [2]):

Ἐνθυμεῖσθε τῆς γῆς ὡς γλυκὺ
ὄζει, καπνός τ' ἐξέρχετ' εὐωδέστερος;
οἰκεῖ τις, ὡς ἔοικεν, ἐν τῷ χάσματι
λιβανωτοπώλης ἢ μάγειρος Σικελικός,

scimus, et in Aristophanis Avibus [3]) Pisthetærus, qui urbi aeriæ Nephelococcygiæ nomen dare jussit, Euelpidæ quærenti:

ἆρ' ἐστὶν αὕτηγὶ Νεφελοκοκκυγία,
ἵνα καὶ τὰ θεαγένους τὰ πολλὰ χρήματα
τά τ' Αἰσχίνου γ' ἅπαντα; respondet:
καὶ λῷστον μὲν οὖν
τὸ Φλέγρας πεδίον, ἵν' οἱ θεοὶ τοὺς γηγενεῖς
ἀλαζονευόμενοι καθυπερηκόντισαν.

Locum difficillimum Vibius, interpres Norvegicus Avium, qui solus, quantum scio, de eo accuratius egit, sic fere vertit: „et ante omnia, ubi campus Phlegræus est, ubi dii Terræ filios gloriando superarunt.“ Putat [4]) poetam occasione ob-

---

[1]) v. 1528 sqq. — [2]) XV. p. 661 E. — [3]) v. 823 sqq. — [4]) in annotationibus interpretationi adjunctis p. 201.

lata totam de Gigantum cum diis pugna narrationem irridere et cum Theagenis et Æschinis divitiis ad fabulas fictas referre; poetarum igitur de diis mendacia perstringi. Verum Aristophanes ipsos deos, non poetas, mentientes inducit atque adeo in ipso prœlio gloriosis mendaciis hostes superantes. Quod eum sumpsisse suspicamur ex aliqua Gigantomachia parodica, qualis fuit illa, quam Hegemonem Atheniensibus eodem die, quo cladis Siculæ nuntius allatus sit, recitasse scribit Athenæus [1]). Sed maxima difficultas inest in verbis *καὶ λῷστον μὲν οὖν*, quæ neque „quod optimum est," neque „ante omnia" significare posse videntur. De sententia loci conjectura sine dubio sanandi hoc solum addam, Pisthetærum quoque Theagenem et Æschinem irridere videri, possessiones eorum ad campum, ubi dii tam vehementer gloriati erant, referentem. — Porphyrio Gigas propter ambiguum nomen, quod etiam fulicam significat, bis in Avibus commemoratur. V. 1249 sqq. Pisthetærus Jovi sic minatur:

πέμψω δὲ πορφυρίωνας ἐς τὸν οὐρανὸν
ὄρνις ἐπ' αὐτὸν παρδαλᾶς ἐνημμένους
πλεῖν ἑξακοσίους τὸν ἀριθμόν. καὶ δή ποτε
εἷς πορφυρίων αὐτῷ παρέσχε πράγματα,

et v. 553 Euelpides exclamat:

ὦ Κεβριόνα καὶ Πορφυρίων ὡς σμερδαλέον τὸ πόλισμα.

Si Scholiastæ ad hunc locum fides habenda est, Cebriones quoque nomen et avis et Gigantis a Venere superati est.

§ 6.

Fragmentorum, quæ e scriptis historicorum vetustissimorum servata sunt, nullum ad fabulam nostram pertinet. Herodotus autem locum saltem pugnæ Gigantum cum diis commemorat, ubi

---

[1]) IX. p. 407 A.

enumeratis oppidis Pallenes pergit[1]): *αὗται γάρ εἰσι αἱ τὴν νῦν Παλλήνην, πρότερον δὲ Φλέγρην καλεομένην νεμόμεναι.* Prosæ orationis scriptorum, qui Gigantum mentionem faciunt, Herodoto ætate proximus est Plato, qui in libro secundo de republica[2]) deorum cum diis inimicitias et pugnas narrari et depingi in perfecta civitate vetans etiam hæc scribit: *πολλοῦ δεῖ Γιγαντομαχίας τε μυθολογητέον αὐτοῖς καὶ ποικιλτέον καὶ ἄλλας ἔχθρας πολλὰς καὶ παντοδαπὰς θεῶν τε καὶ ἡρώων πρὸς συγγενεῖς τε καὶ οἰκείους αὑτῶν.* In Convivio Platonis[3]) dii, quid hominibus primis robustissimis facerent, dubitasse narrantur; *οὔτε γὰρ ὅπως ἀποκτείναιεν εἶχον καὶ ὥσπερ τοὺς Γίγαντας κεραυνώσαντες τὸ γένος ἀφανίσαιεν κ. τ. ἑ.* Denique in Sophista[4]) Plato controversiam eorum, qui corpora tantum esse affirmabant, cum iis, qui corpore carere, quæcunque re vera essent, exsistimabant, bello Gigantum contra deos facete comparat: *Καὶ μὴν ἔοικέ γε ἐν αὐτοῖς οἷον Γιγαντομαχία τις εἶναι διὰ τὴν ἀμφισβήτησιν περὶ τῆς οὐσίας πρὸς ἀλλήλους. Πῶς; Οἱ μὲν εἰς γῆν ἐξ οὐρανοῦ καὶ τοῦ ἀοράτου πάντα ἕλκουσι, ταῖς χερσὶν ἀτεχνῶς ὡς πέτρας καὶ δρῦς περιλαμβάνοντες. — — Τοιγαροῦν οἱ πρὸς αὐτοὺς ἀμφισβητοῦντες μάλα εὐλαβῶς ἄνωθεν ἐξ ἀοράτου ποθὲν ἀμύνονται, νοητὰ ἄττα καὶ ἀσώματα εἴδη βιαζόμενοι τὴν ἀληθινὴν οὐσίαν εἶναι.* In locum Gigantum paulo post[5]) ad comparationem variandam alios Terræ filios, Spartos et Autochthonas, substituit. — Isocrates, Platonis fere æqualis, in Helena[6]) de diis scribit: *αὐτοὶ γὰρ πολὺ μείζω καὶ δεινοτέραν ἐποιήσαντο παράταξιν τῆς πρὸς Γίγαντας αὐτοῖς γενομένης. πρὸς μὲν γὰρ ἐκείνους μετ' ἀλλήλων ἐμαχέσαντο, περὶ δὲ ταύτης*

---

[1]) VII. 123. — [2]) 378 C. — [3]) 190 C. — [4]) 246 A sqq. Wieselerus (p. 145) *τὴν οὐσίαν* miro modo de possessionibus deorum interpretatur. — [5]) 247 C. — [6]) 53.

(de Helena) *πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ἐπολέμησαν.* — Ephorus, illius discipulus, in libro quarto[1]) fabulam nostram his fere verbis explicare conatus erat: *Οἱ δὲ περὶ τὴν πάλαι μὲν Φλέγραν, νῦν δὲ Παλλήνην ὀνομαζομένην κατοικοῦντες ἦσαν ἄνθρωποι ὠμοὶ καὶ ἱερόσυλοι καὶ ἀνθρωποφάγοι, οἱ καλούμενοι Γίγαντες, οὓς Ἡρακλῆς λέγεται χειρώσασθαι τὴν Τροίαν ἑλών, καὶ διὰ τὸ κρατῆσαι τοὺς περὶ Ἡρακλέα ὀλίγους ὄντας τῶν Γιγάντων πολλῶν ὄντων καὶ ἀσεβῶν θεῶν ἔργον ἅπασιν ἐδόκει γεγονέναι τὸ περὶ τὴν μάχην.* — Historicorum, qui post Alexandrum vixerunt, Duris Samius[2]) scripserat, *τοὺς ὑπὸ τῶν Γιγάντων κατενεχθέντας λίθους, τοὺς μὲν εἰς τὴν θάλασσαν πεσόντας γενέσθαι νήσους, τοὺς δὲ εἰς τὴν γῆν ὄρη,* Phylarchus[3]) *περὶ Παλλαδίων ἐν τῇ Γιγάντων μάχῃ κατενηνεγμένων* narraverat, Timæus[4]) pugnam Gigantum ad Campaniam retulerat; scribit enim Diodorus[5]): *Ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως ἀναζεύξας καὶ διεξιὼν τὴν παράλιον τῆς νῦν Ἰταλίας ὀνομαζομένης κατήντησεν εἰς τὸ Κυμαῖον πεδίον, ἐν ᾧ μυθολογοῦσιν ἄνδρας γενέσθαι ταῖς τε ῥώμαις προέχοντας καὶ ἐπὶ παρανομίᾳ διωνομασμένους, οὓς ὀνομάζεσθαι Γίγαντας· ὠνομάσθαι δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ τὸ παλαιὸν ἄπλατον πῦρ ἐκφυσῶντος παραπλησίως τῇ κατὰ τὴν Σικελίαν Αἴτνῃ. καλεῖται δὲ νῦν ὁ λόφος Οὐεσουούιος, ἔχων πολλὰ σημεῖα τοῦ κεκαῦσθαι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους. τοὺς δ' οὖν Γίγαντας πυθομένους τὴν τοῦ Ἡρακλέους παρουσίαν ἀθροισθῆναι πάντας καὶ παρατάξασθαι τῷ προειρημένῳ. θαυμαστῆς δὲ γενομένης μάχης κατά τε τὴν ῥώμην καὶ τὴν ἀλκὴν τῶν Γιγάντων, φασὶ τὸν Ἡρακλέα συμμαχούντων αὐτῷ τῶν θεῶν κρατῆσαι τῇ μάχῃ καὶ τοὺς πλείστους ἀνελόντα τὴν χώραν ἐξημερῶσαι. μυθολογοῦνται δ' οἱ*

---

[1]) fragm. 70 ap. Müllerum — [2]) fragm. 39. — [3]) fragm. 79. — [4]) fragm. 10. — [5]) IV. 21.

Γίγαντες γηγενεῖς γεγονέναι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ κατὰ τὸ σῶμα μεγέθους. καὶ περὶ μὲν τῶν ἐν Φλέγρᾳ φονευθέντων Γιγάντων τοιαῦτα μυθολογοῦσί τινες, οἷς καὶ Τίμαιος ὁ συγγραφεὺς ἠκολούθησεν. — Timæum in hac re sequitur Polybius, ubi de agro Campano scribit[1]): *ἐπιεικέστατος δὲ καὶ παρὰ τοῖς μυθογράφοις ὁ περὶ τούτων τῶν πεδίων λέγεται λόγος· προσαγορεύεται δὲ καὶ ταῦτα Φλεγραῖα, καθάπερ καὶ ἕτερα τῶν ἐπιφανῶν πεδίων· θεούς γε μὴν μάλιστα περὶ τούτων εἰκὸς ἠρικέναι διὰ τὸ κάλλος καὶ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν.* — Quam regionem Aristoteles in Meteorologicis[2]) significet, scribens: *ὅπου δ' ἂν γένηται τοιοῦτος σεισμός, ἐπιπολάζει πλῆθος λίθων, ὥςπερ τῶν ἐν τοῖς λίκνοις ἀναβραττομένων· τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον γενομένου σεισμοῦ τὰ περὶ Σίπυλον ἀνετράπη καὶ τὸ Φλεγραῖον καλούμενον πεδίον,* dijudicari vix potest: Wieselerus[3]) Campaniam intelligit, equidem haud scio an illa a Sipylo non multum distans planities, quæ apud cæteros Catacecaumene[4]) appellatur, præferenda sit. — Restat fragmentum Pepli Aristotelis, quod num inter testimonia antiquiora locum obtinere possit, dubium est; nam Peplum illum Stagiritæ non sine causa abjudicasse videntur viri docti[5]). Scribit Scholiastes Aristidis[6]): *ἡ τάξις τῶν ἀγώνων κατὰ Ἀριστοτέλην γράφεται· πρῶτα μὲν τὰ Ἐλευσίνια διὰ τὸν καρπὸν τῆς Δήμητρος· δεύτερα δὲ τὰ Παναθήναια ἐπὶ Ἀστέρι τῷ Γίγαντι ὑπὸ Ἀθηνᾶς ἀναιρεθέντι. — — ταύτην τὴν τάξιν εἰς πέπλους συνθεὶς ὁ Ἀριστοτέλης ἐξέθετο τῶν ἀρχαίων καὶ παλαιῶν ἀγώνων.* Pro *Ἀστέρι* videtur scribendum esse *Ἀστέριον*; nam alius Scholiastes[7]) habet *ἐπὶ φόνῳ τοῦ Ἀστερίου Γίγαντος.*

---

[1]) III. 91, cfr. II. 17. — [2]) II. p. 368. — [3]) p. 157. — [4]) Strab. XII. p. 579. — [5]) ut C. Müllerus Fragm. Hist. Græc. II. p. 189. — [6]) p. 323 Dind. — [7]) ibid. lin. 27.

Pervenimus denique ad poetas Alexandrinos, quorum Apollonius de Vulcano Æeten artis suæ miraculis donante narrat [1]):

πρὸς δὲ καὶ αὐτόγυον στιβαροῦ ἀδάμαντος ἄροτρον
ἤλασεν Ἠελίῳ τόνων χάριν, ὅς ῥά μιν ἵπποις
δέξατο Φλεγραίῃ κεκμηότα δηιοτῆτι.

Idem Æeten inducit thoracem induentem [2]),

τόν οἱ πόρεν ἐξεναρίξας
σφωιτέρης Φλεγραῖον Ἄρης ὑπὸ χερσὶ Μίμαντα.

Idem de Amyco [3]):

ἀλλ' ὁ μὲν ἢ ὀλοοῖο Τυφωέος ἠὲ καὶ αὐτῆς
Γαίης εἶναι ἔικτο πέλωρ τέκος, οἷα πάροιθεν
χωομένη Διὶ τίκτεν,

quem locum Scholiastes recte de Gigantibus interpretatur. Denique Spartos Colchos Gigantes nominat Apollonius [4]).

Callimachus Jovem *Πηλαγόνων ἐλατῆρα*, Gigantum victorem, appellat [5]). Scripturam librorum *πηλογόνων* (limo ortorum), quam sequitur Wieselerus [6]), jam Salmasius et Bentleius correxerunt ex Etymologico Magno, quod habet: *Πηλαγόνες οἱ Γίγαντες. Καλλίμαχος 'Πηλαγόνων ἐλατῆρα'.* Quod additur: *εἴρηται παρὰ τοῦ ἐκ πηλοῦ γεγονέναι, τουτέστιν ἐκ γῆς*, falsum esse, et Gigantes propter vicinitatem Pallenes et Pelagoniæ, partis Macedoniæ superioris, Pelagones dictos esse, optime exposuit Meinekius, Callimachi editor novissimus. Simili modo Lycophro Gigantes Sithonios appellavit [7]). Quæ Strabo de Titanibus Pelagonibus appellatis narrat [8]), nihil nisi pravam hujus ipsius loci Callimachei male de Titanibus intellecti interpretationem esse puto. — In Lavacro

---

[1]) Argon. III. 223 sqq. — [2]) III. 1225. — [3]) II. 38 sqq. [4]) III. 1053. — [5]) in Jov. 3. — [6]) p. 145 not. 24. — [7]) v. 1357. — [8]) VII. fragm. 40, cfr. 39.

Palladis [1]) Callimachus Minervam equos ad fontes Oceani lavisse narrat,

ὅκα δή, λύθρῳ πεπαλαγμένα πάντα φέροισα
τεύχεα, τῶν ἀδίκων ἧνθ' ἀπὸ γηγενέων.

In hymno in Delum [2]) sonum clipei Martis fragori comparat, qui oritur,

ὁπότ' Αἰτναίου ὄρεος πυρὶ τυφομένοιο
σείονται μυχὰ πάντα, κατουδαίοιο Γίγαντος
εἰς ἑτέρην Βριαρῆος ἐπωμίδα κινυμένοιο.

Callimachum alio loco partes Briarei Encelado tribuisse, et Scholiastes Pindari [3]) docet et hoc fragmentum, quod unde sumpserit Bergkius [4]), non invenio:

τριγλώχιν ὀλοῷ νῆσος ἐπ' Ἐγκελάδῳ.

Denique in hymno in Cererem [5]) Erysichthonis servos violentos et robustos novo verbo *ἀνδρογίγαντας* appellat.

Euphorionis fabellam miram de Eurymedonte Gigante servavit Scholiastes Iliadis [6]): *Ἥραν τρεφομένην παρὰ τοῖς γονεῦσιν εἷς τῶν Γιγάντων Εὐρυμέδων βιασάμενος ἔγκυον ἐποίησεν. ἡ δὲ Προμηθέα ἐγέννησεν. Ζεὺς δὲ ὕστερον γήμας τὴν ἀδελφὴν καὶ γνοὺς τὰ γενόμενα τὸν μὲν Εὐρυμέδοντα κατεταρτάρωσεν, τὸν δὲ Προμηθέα προφάσει τοῦ πυρὸς δεσμοῖς ἀνήρτησεν.*

Apud Lycophronem [7]) Juppiter deos jurejurando obstringit

μέλλων Γίγαντας κἀπὶ Τιτᾶνας περᾶν.

In quo versu Gigantes nulla alia de causa quam propter trimetri iambici rationem ante Titanes nominati esse videntur. — Lycophronem Gigantum sedem ad Pallenen et ter-

---

[1]) v. 7 sqq. — [2]) v. 141 sqq. — [3]) ad Ol. IV. 11. — [4]) Anthol. lyr. pag. 125. — [5]) v. 35. — [6]) ad. XIV. 295. — [7]) v. 708.

ram adjacentem retulisse, apparet eo, quod Proteum *Φλεγραίας πόσιν Τορώνης*[1]) et Pallenen *Γηγενῶν τρόφον*[2]) appellat. Nihilo minus eos Pithecussis insula una cum Typhone oppressos esse, significat his versibus de Ulixe ab inferis reduce[3]):

ὅθεν Γιγάντων νῆσος ἡ μετάφρενον
θλάσασα καὶ Τυφῶνος ἀγρίου δέμας
φλογμῷ ζέουσα δέξεται μονόστυλον.
ἐν ᾗ πιθήκων πάλμυς ἀφθίτων γένος
δύσμορφον εἰς κηκασμὸν ᾤκισεν τόσον,
οἳ μῶλον ὠρόθυναν ἐκγόνοις Κρόνου.

Herculem victoriæ participem fuisse significat, ubi Cassandra, Paridem *γιγαντοραίστοις ἄρδισι* vulneratum iri, vaticinatur[4]). Xerxen appellat[5])

Γίγαντα, τῷ θάλασσα μὲν βατὴ
πεζῷ ποτ' ἔσται, γῆ δὲ ναυσθλωθήσεται.

Similiter ad Hectoris vim significandam eum appellat *τὸν Καναστραῖον μέγαν ἐγχώριον Γίγαντα*, Canastræum a Canastræo promontorio Pallenes[6]). Eodem modo fortasse intelligendum est, quod Ægeus quoque Gigas dicitur[7]); neque enim Tzetzes audiendus est, qui ad hunc locum scribit, Ægeum unum e Spartis Thebanis fuisse. — Restat locus de Lydis Etruriam occupantibus[8]):

Ἄγυλλαν Λὐσονῖτιν εἰξεκώμασαν
δεινὴν Λιγυστίνοισι τοῖς τ' ἀφ' αἵματος
ῥίζαν Γιγάντων Σιθόνων κεκτημένοις
λόγχης ἐν ὑσμίνῃσι μίξαντες πάλην.

---

[1]) v. 115. — [2]) v. 126, cfr. 1404—8. — [3]) v. 688 sqq. — [4]) v. 63. — [5]) v. 1414 sq. — [6]) v. 526 sq, cfr. Anthol. XI. 63. — [7]) v. 494. — [8]) v. 1355 sqq.

Qui locus C. O. Müllerum [1]) et Wieselerum [2]) non offendisset, si meminissent, Gallos a Callimacho [3]) *ὀψιγόνους Τιτῆνας*, a Silio [4]) corpora irata Tellure sata appellari.

Nicander in Europia de Atho Gigante, qui Athoni monti nomen dederat, teste Stephano Byzantino [5]), qui fragmentum ejus corruptum servavit, dixerat.

Denique afferendum est mutilum fragmentum Nævii [6]) de opere, ut videtur, aliquo cælato: „Inerant signa expressa, quomodo Titani, bicorpores Gigantes magnique Atlantes, Rhuncus atque Purpureus, filii Terras."

§ 7.

Gigantum fabulam per longum temporis spatium, quod inter Homerum et Apollodorum fuit, non semper eandem mansisse, satis apparet; sed quo tempore singulæ mutationes factæ sint et a quibus scriptoribus, propter naturam testimoniorum accurate indagari non potest. Nam, ut vidimus, excepto solo Apollodoro scriptores servati partes tantum exiguas fabulæ tradiderunt, pleraque prætermiserunt. Nihilo minus, conjunctis, quæ a scriptoribus, qui ante bella Persarum vixerunt, deinde, quæ a scriptoribus Atticæ ætatis, denique quæ ab Alexandrinis tradita sunt, fabulæ formæ, mancæ illæ quidem et obscuræ, sed tamen ejusmodi orientur, ut inter se comparatæ imaginem universi motus ejus præbeant et suspiciones quasdam de Apollodori fontibus non improbabiles pariant. Hic etiam artis monumenta, quæ Wieselerus accuratissime enumeravit, nos autem, quia nihil novi

---

[1]) Etrusker I. p. 105 not. 82. — [2]) Giganten p. 174. — [3]) in Del. 174. — [4]) V. 110. — [5]) s. v. *Ἄθως*, cfr. Schol. Il. XIV. 229. — [6]) ap. Priscian. p. 679 Putsch.

addere potuimus, supra in fontibus fabulæ recensendis omisimus, magno usui erunt.

Testimoniis igitur, quæ ad primam illam ætatem litterarum Græcarum pertinent, compositis, hæc efficiuntur: Gigantes fuisse populum diis propinquum (Hom.), a Terra Cæli evirati sanguine gravida genitum (Hes.), statura humanam longe superante, hastis armatum, superbum; Eurymedontem, regem eorum, sibi et populo suo interitus causam fuisse; e Peribœa, filia ejus, mulierum pulcherrima, Neptunum procreasse Nausithoum, Phæacum gentis auctorem (Hom.). Paucis his Homericis et Hesiodeis nihil a cæteris poetis antiquioribus sumptum addi posse, eo molestius est, quod fabula nostra præcipue in hujus ætatis carminibus epicis et lyricis viguisse putanda est. Id solum adjici potest, in solio illo Amyclæo antiquissimo, teste Pausania [1]), *μάχην Ἡρακλέους πρὸς θούριον τῶν Γιγάντων* expressam fuisse.

Apud scriptores Atticæ ætatis ex Homericis illis et Hesiodeis pleraque aucta repetuntur, nonnulla omittuntur, quædam immutantur. Primum, quod ad genus Gigantum attinet, multi eos Terræ filios vocant (*γηγενέες ἄνδρες Γίγαντες* Batrach, *ὁ γηγενὴς στρατὸς Γιγάντων* Soph, *Γῖγας γηγενής* vel *γηγενέτας* Eur, *τὰ Γῆς βλαστήματα, Γᾶς τέκνα* id, *γηγενεῖς* id. et Aristoph.), de Cæli sanguine omnes tacent. Magnitudinem corporum eorum Pindarus significat, qui Alcyoneum cum monte comparat, et Euripides, apud quem Gigas oppidum fundo revulsum humeris sustinet. Ut apud Hesiodum hastis armati sunt, ita apud Euripidem Enceladus clipeum gerit; apud Pindarum autem Alcyoneus ingentem

---

[1]) III. 18. 11.

lapidem emittit, et Platoni in Sophista sine dubio Gigantes saxa et quercus in cælum torquentes obversati sunt. *Ἀτασθαλία* illa ab Homero Gigantibus tributa ab Æschylo maxime et Euripide significatur, quorum ille Tydeum, Capaneum, Zephyrum, hic Pentheum et Hippomedontem cum Gigantibus comparat. Pro Eurymedonte, quem Homerus regem Gigantum appellat, Pindarus Porphyrionem habet et alio loco, si fragmentum ab Hippolyto servatum vere Pindaricum est, Alcyoneum, si minus regem, attamen natu maximum Gigantem vocat; auctor Batrachomyomachiæ Enceladum principem habuisse videtur. Ut de Eurymedonte, ita de filia ejus et omnino de progenie Gigantum scriptores hujus ætatis omnes tacent. At de interitu eorum ab Homero obscure significato multi narrant, eos in campo Phlegræ (*Φλέγρας πεδίον* Pind, Aristoph, *Φλέγρα* Eur, Herod, Ephor, *Φλεγραῖσιν* Pind, *Φλεγραία πλάξ* Æsch, *Φλεγραῖον πεδίον* Eur, Aristot.) a diis cæsos esse. Inter deos excellunt Juppiter, qui in Batrachomyomachia Enceladum et feras gentes Gigantum fulmine interficit, in Convivio Platonis, ubi Gigantes fulmine exstincti commemorantur, aperte significatur, apud Euripidem Mimantem cædit; Minerva, quæ apud eundem Euripidem e curru Jovis pugnat, Gorgonem a Terra filiis auxilio missam interficit, interfectæ pelle pro thorace utitur, Enceladum dejicit; Apollo, qui apud Pindarum Porphyrionem sagittis conficit; denique Bacchus, qui apud Euripidem thyrso pugnat et Silenum armigerum habet. Deos in prœlio magnopere adjutos esse sagittis Herculis, et Pindarus testatur et Euripides, apud quem Hercules ex ipsius Jovis curru pugnat et epularum, quibus dii victoriam celebrant, particeps est. Gigantibus jam commemoratis, Porphyrioni, quem Aristophanes quoque novit, Encelado, Mimanti, addi possunt

duo dubii, Cebriones (Aristoph.) et Asterius, quorum ille in Scholiis Aristophanis a Venere, hic in Pepli Aristotelici fragmento a Minerva superatus esse dicitur. Terram cum filiis contra deos stetisse, præter Euripidem nemo habet. A magno prœlio deorum et Herculis contra Gigantes longe diversa est pugna ejusdem Herculis cum Alcyoneo a Pindaro solo commemorata, de qua hæc comperimus: Herculem et Telamonem, Troja capta et Meropibus victis, Alcyoneum, ingentem bubulcum, quum jam quatuor et viginti milites eorum saxo oppressisset, in Phlegris interfecisse. Ut jam hic Gigantum patria ad aliquam terrarum, quas Ægeum mare alluit, referri posse videtur, sic in fragmento de hominibus primis Pallene Phlegræum Alcyoneum edidisse dicitur, et Herodoto atque Ephoro, fabulæ nostræ interpreti primo, Phlegra antiquum nomen Pallenes est. Campus Phlegræus, quem Aristoteles terræ motu vastatum et lapidibus opertum esse scribit, num in eadem pæninsula quærendus sit, dubium videtur.

Verba Platonis supra allata: *πολλοῦ δεῖ Γιγαντομαχίας μυθολογητέον καὶ ποικιλτέον*, si cum noto loco in Euthyphrone [1]) conjungas: *καὶ πόλεμον ἄρα ἡγεῖ σὺ εἶναι τῷ ὄντι ἐν τοῖς θεοῖς πρὸς ἀλλήλους καὶ ἔχθρας γε δεινὰς καὶ μάχας καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολλά, οἷα λέγεταί τε ὑπὸ τῶν ποιητῶν, καὶ ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν γραφέων τά τε ἄλλα ἱερὰ ἡμῖν καταπεποίκιλται, καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν*, efficitur, quod etiam testimoniis scholiastarum [2]) confirmatur, fabulam nostram in peplo Panathenaico acu pingi solitam esse. Plinius [3]) docet, in concava

---

[1]) 6 B. — [2]) Bœckh. Græc. trag. princ. p. 194. — [3]) H. N. XXXVI. 18.

parte scuti Minervæ Phidiam deorum et Gigantum dimicationes cælavisse. Cætera monumenta ejusdem argumenti nunc amissa a Wieselero [1]) enumerata sunt. Nobis ad cognoscendum, quomodo Atticæ ætatis artifices Gigantum fabulam expresserint, maximi momenti sunt vasa picta, quorum etsi vetustissima quæque fortasse sæculum sextum attingunt et recentissima, Apulæ et Lucanæ artis opera, ad tempora Alexandrina referuntur [2]), maxima tamen copia sine dubio huc pertinet, et similitudo imaginum tanta est, ut divelli non debeant. Summa igitur illius generis monumentorum utilitas ea est, ut permagno exemplorum numero ostendant, quod etiam scriptorum silentio confirmatur, per omnem Atticam ætatem figuram humanam, non mixtam et monstrosam illam ab Apollodoro commemoratam, Gigantibus tributam esse. At scribit C. O. Müllerus [3]), in vasis nonnullis Vulcentibus esse Gigantes alatos, serpentipedes, corpore squameo, et statuunt Gerhardus [4]), Lenormantus [5]), Wieselerus [6]), etsi Gigantum forma in vasis pictis fere semper humana sit, esse tamen paucas quasdam exceptiones. De qua re viri docti incautius judicasse videntur, partim barbara quædam Græcis immiscentes, partim Græca quædam non recte interpretantes. Constat, in vasis pictis longe antiquissimis præter animalia etiam viros et mulieres alatos in serpentem desinentes expressos esse. Hic de Gigantibus vel de Typhoeo vel omnino de fabulis Græcis cogitare dissuadet similitudo maxima illorum monumentorum cum Babylonicis et Assy-

---

[1]) Giganten p. 158. — [2]) Jahn. Vasensammlung König Ludvigs p. CCXXXII. — [3]) Handbuch d. Archäologie. Dritte Aufl. p. 638. — [4]) Auserles. gr. Vasenbilder I. p. 23—24. — [5]) El. ceram. I. p. 6, Nouv. Gal. myth. p. 17. — [6]) p. 160.

ricis [1]). Aliud vas [2]), antiquissimum illud quoque, sed et arte et imaginibus et inscriptionibus aperte Græcum, præter certamen Atalantæ et Pelei etiam pugnam Jovis contra Typhoeum alis et duabus caudis serpentum pro pedibus instructum ostendit. Typhoeum vero Atticis temporibus a Gigantibus distingui, jam vidimus. In vasis antiquioribus cum atris figuris, quæ Gerhardus archaica appellat, primum occurrunt serpentipedes illi alati, quos Müllerus Gigantes nominat; sed quia contra Jovem solum pugnant, eos Typhoeum significare, Gerhardus [3]) recte statuit. In vase item Vulcenti [4]) figura superne humana, infra quatuor anguibus colla erigentibus fulta, sex alis instructa, saxum capite sustinens, utrinque a juvene levis armaturæ petitur. Quam figuram Wieselerus olim [5]) Gigantem a Marte et Apolline, postea [6]) Typhoeum a duobus diis oppugnatum significare putavit. Sed neque dii in monumentis artis tali modo exprimuntur et Typhoeus solius Jovis adversarius est. Miror, Wieselerum non animadvertisse, hic de opere Etruscæ barbariæ, non Græcæ artis agi. Constat enim, inter vasa Vulcentia non pauca esse, quæ et artis inscitia et argumentis a Græcis fabulis plus minusve alienis et monstris portentosis sæpe tribus paribus alarum præditis originem barbaram præ se ferant [7]). Quæ omnia quam maxime in illud vas cadere, primo aspectu cernitur. Neque aliter statuendum est de vase archaico a Gerhardo commemorato [8]), ubi juvenis, cui serpentes capita erigentes pro pedibus sunt, negligentissime

---

[1]) Jahn. l. c. p. CXLV. — [2]) Gerhard l. c. tab. 237, Jahn. l. c. p. 38. — [3]) l. c. annot. 19. — [4]) C. O. Müller Denkm. d. alt. Kunst, fortges. von Wieseler II. tab. 67. 850. — [5]) ad illam tabulam. — [6]) Giganten p. 162—63. — [7]) Jahn l. c. p. CLXXII. — [8]) l. c. et Neapels ant. Bildw. I. p. 332.

pictus est, et de alio [1]), ubi simile monstrum, quod juvenis gladio aggreditur, sæpius repetitum est. Sejunctis igitur, quæ Græca non sunt, et sejuncto Typhoeo, qui hoc tempore nondum Gigas fuit, in vasis pictis vix ullum exemplum Gigantis serpentipedis remanet. Quod eo confidentius judico, quo pluris testimonium Jahnii [2]), archæologi doctissimi simul et cautissimi, æstimo, et in vasis prisci generis cum atris figuris et in vasis artis perfectæ et elegantis Gigantes semper esse milites armis æneis accinctos, neque magnopere eo moveor, quod Lenormanti libros supra citatos, ubi de exceptionibus quibusdam agitur, adire non potui. De recentissimis tamen vasis artis Apulæ et Lucanæ nonnihil dubito, partim quod unum tantum exemplum [3]) illius generis novi, partim quod Jahnii verba [4]) hic ambigua sunt („ungeheuerliche Kraft lehnt sich auf gegen göttliche Majestät").

Tela Gigantum, ut apud Hesiodum, ita fere semper in vasis pictis hastæ sunt. Interdum tamen gladios, clavas, lapides gerunt, quercus et saxa vix unquam. In vasis antiquioribus a vertice usque ad talos ære induti sunt, in recentioribus plerumque nudi vel seminudi, pallio aut pelle ferina humeros tegente. Terra in duobus vasis artis perfectæ juxta filios conspicitur. Inter hostes Gigantum, ut apud scriptores, Juppiter, Minerva, Hercules, Bacchus excellunt. Interdum, ut apud Euripidem, Minerva aut Hercules e Jovis curru pugnant; in vase Apulo [5]) Victoria equos ejus regit, Minerva juxta pedestris pugnat. Juppiter fulmen conjicit, Hercules sagittas aut, ut Minerva, hastam emittit, rarius clava armatus est, Bacchus hasta aut thyrso

---

[1]) Gerhard l. c. — [2]) l. c. p. CCI. — [3]) C. O. Müller. Denkmäler d. a. K. II. tab. 66. 843. — [4]) l. c. p. CCXXII. — [5]) C. O. Müller l. c.

aut hedera pugnat. Deorum a scriptoribus prætermissorum maxime conspiciuntur Neptunus, qui dextra hastam aut tridentem gerit, sinistra saxum aut insulam in adversarium jam concidentem humero demittit, et Vulcanus, qui aut malleo pugnat aut duobus forcipibus massas ardentes torquet. Præterea Mercurius, Mars, Apollo, qui nunquam, ut apud Pindarum, primas partes agit, Diana, Juno, Sol, Mænades, Satyri a pictoribus vasorum expressi sunt [1]). Tantum numerum deorum in eodem vase non inveniri, sed modo plures, modo pauciores, modo singulos tantum, consentaneum est. Præcipue Minerva in maximo numero vasorum cum atris figuris sola cum solo Encelado, cujus nomen interdum adscriptum est, pugnat. Inscriptionibus maxime memorabile est poculum Berolinense [2]) cum rubris figuris Vulcis repertum, ubi Juppiter cum Porphyrione, Neptunus cum Polybota, Apollo cum Ephialta, Minerva cum Encelado, Juno, ut videtur, contra Rhœtum, Diana contra Gigantem nomine incerto pugnant. Neptuni adversario, qui etiam ab Apollodoro et a Pausania [3]) Polybotes vocatur, in vase artis paulo antiquioris [4]) Ephialtes nomen est. Utrum pictor hic aliam fabulæ formam secutus sit an, quod etiam poetis accidit, Gigantum nomina confuderit, cum Wieselero quærere inutile est. Ut apud Pindarum, sic in vasis pictis [5]) pugna Herculis et Alcyonei longe diversa est a magno prœlio deorum et Gigantum; sed discrepantia in eo est, quod in vasis Hercules, quem Minerva aut Mercurius interdum comitantur, Alcyoneum dormientem aut expergiscentem adoritur. Supra

---

[1]) Wieseler. Giganten p. 164—65. — [2]) Wieseler l. c. p. 166. — [3]) I. 2. 4. — [4]) C. O. Müller. Denkmäler I. tab. 44, 203. — [5]) O. Jahn in Berichte d. sächs. Ges. d. Wissensch. phil-hist. Cl. 1853. IV—V.

ingentem Terrigenam recubantem interdum, si Jahnii interpretatio vera est, Somnus, semel *Κῆρ τανηλεγέος θανάτοιο* expressa est. — Cætera monumenta artis, quæ ad Gigantum fabulam referuntur, pauca sunt neque quidquam præbent, quod vasa picta non et pleniore et certiore modo ostendant. De nonnullis eorum, maxime de telamonibus templi Jovis Agrigentini, etiam perdubium est, num revera Gigantes repræsentent.

Quæ apud scriptores ætatis Alexandrinæ inveniuntur, omnia fere nova et adhuc inaudita sunt. Pauca, quæ saltem ex parte nobis jam nota sunt, hæc sunt: Gigantes, Terræ filios, in Phlegra (Apollon, Lycophr.) victos esse; inter deos Jovem (Callim, Lycophr.), Minervam, Herculem, deinde, quos adhuc in vasorum picturis tantum novimus, Vulcanum, Solem, Martem in acie operam navasse; Minervam post prœlium equos ad fontem Oceani lavisse (Callim), Herculem Gigantes sagittis confecisse (Lycophr, Tim.), Vulcanum fessum a Sole in currum receptum esse (Apollon.), Martem Mimantem thorace spoliasse (id.). Denique Gigantum patriam fuisse Pallenen aut saltem vicinas regiones Macedoniæ, Callimachus significat et Lycophro et Nicander, apud quem Athos Gigas monte ejusdem nominis oppressus esse videtur. Prorsus nova sunt hæc: Terram Jovi iratam Gigantes peperisse (Apollon.), prœlium Gigantum in Campania factum esse (Tim; addit Polybius, etiam alios campos Phlegræos esse), Palladia in illo prœlio cælo delapsa esse (Phylarch.), montium et insularum originem eodem pertinere (Dur.), Enceladum Siciliam sustinere (Callim.). Discrimen, quod inter Gigantes, Typhoeum, Titanes adhuc fuit, jam pæne evanuisse, his compositis apparet: Gigantes et Typhoeum Pithecussis insula premi (Lycophr.), Eurymedontem Gigantem, quod Junone virgine compressa Prometheum procreasset, a

Jove in Tartarum detrusum esse (Euphor.), Jovem, quum contra Gigantes et Titanes iturus esset, deos jurejurando obstrinxisse (Lycophr.). Propterea quod verbum Gigas jam Alexandrino tempore pro Terrigena usurpatum esse videtur, dijudicari non potest, num Callimachus, apud quem Briareus Gigas sub Ætna jacet, Contimanos quoque cum Gigantibus cenjunxerit. Saltem Sparti Colchi ab Apollonio Gigantes vocantur, et fortasse Lycophro, ubi Ægeum Gigantem appellat, illo verbo non metaphorice, ut alibi de Hectore et de Xerxe, usus est, sed *αὐτοχθονιαν* Atheniensium significare voluit. Itaque dubium est. utrum verba Callimachi ita intelligenda sint, ut Briareus Gigantum, an ita, ut Titanum contra deos socius fuerit. Nævii fragmento mutilo Wieselerus ad demonstrandum, Gigantibus etiam tum figuram humanam tributam esse, utitur; nam bicorpores Gigantes ejus esse Typhones et diversos a Rhunco atque Purpureo. Prellerus ex eodem fragmento colligit, Romanos jam tum Gigantes serpentipedes novisse. Nos rem dubiam in medio relinquemus. In vase Apulæ artis supra commemorato hominum similes sunt, quocum congruit, quod Apollonius Mimanti thoracem tribuit.

Venimus tandem ad quæstionem maximi in hac dissertatione momenti, utrum Apollodorus Gigantum fabulam totam e fontibus antiquioribus, quos præferre solet, hauserit, an, quod etiam alibi nonnunquam fecit, a scriptoribus recentioribus et suæ ætati propioribus quædam receperit. In Apollodori narratione cum superioribus comparanda, quia Homerum et Hesiodum prorsus neglexit, ab iis, quæ ei cum Atticæ ætatis scriptoribus et artificibus communia sunt, initium faciemus. Ut apud illos, aut in Phlegris aut in Pallena Gigantes nati esse dicuntur. Ut apud Platonem, quercubus et

saxis armati sunt. Duas inter se diversas narrationes de Alcyoneo Gigantum natu maximo ab Hercule interfecto et de Gigantum populo a diis Hercule adjuvante superato Apollodorus ita conflavit, ut Gigantibus Spartano more duo principes sint, Alcyoneus et Porphyrio; præterea, ut apud Pindarum Troja et Co captis cum Alcyoneo confligit, sic apud Apollodorum ab eadem expeditione revertens a diis auxilio vocatur; quod adjicit, Alcyoneum Solis boves ab Erythia abegisse, verbum *βουβόταν*, quo Pindarus de hoc Gigante utitur, explicat. Quæ de ipso prœlio tradit, magna ex parte apud Atticæ ætatis scriptores et in vasis pictis jam invenimus: Jovem Porphyrionem et multos alios Gigantes fulmine dejecisse, Apollinem Ephialtem, Minervam Enceladum, Neptunum insulam jaculantem Polybotem superasse, Junonem, Bacchum thyrso armatum, Vulcanum massas torquentem, Mercurium, Dianam alios Gigantes cecidisse, Herculem plurimum ad victoriam contulisse. Magnus igitur, ut par est, Apollodoro cum antiquioribus consensus intercedit. A quibus tamen in nonnullis deflectens narratio ejus aperte cum Alexandrinis consentit. Primum quod Minerva Siciliam in Enceladum conjicit, cum fragmento Callimacheo congruit, ab eo, quod narratione Æschylea [1]) et Pindarica [2]) novimus, Typhoeum sub Ætna jacere, discrepat. Neque enim ullo modo fieri potuisse, ut egregii poetæ Apollodori modo Ætnam et Siciliam separantes hanc Enceladi, illam Typhoei onus habuerint, quisquis poetam a grammatico poetarum narrationes diversas conglutinanti dijungere potest, concedet. Accedit, quod in maximo numero vasorum, ubi Minervæ et Enceladi pugna expressa est, dea nunquam in-

---

[1]) Prom. 365 sqq. — [2]) Ol. IV. 6, Pyth. I. 18 sqq.

sulam conjicit, et quod Euripides eandem pugnam bis commemorans de insula tacet. Etiam hoc ostendit, Apollodorum e fontibus recentioribus nonnulla hausisse, quod Gigantibus formam illam mixtam et monstrosam, quam apud Atticæ ætatis scriptores et in vasis ejusdem temporis frustra quæras, tribuit. Si quis enim statuat, eum hoc apud scriptores perantiquos invenisse, statuat necesse sit, Græcos Gigantes primo monstra, postea hominum similes, deinde rursus monstra finxisse. Immo Alexandrinos, qui Gigantes tam arte cum Typhoeo conjunxerint, primos etiam speciem hujus illis tribuisse, admodum verisimile est. Utrum poetæ artificum an artifices poetarum in hac re exemplum secuti sint, scire non possumus; suspicamur tamen, egregios sculptores Pergamenos ad novam Gigantum formam litteris atque arti commendandam aliquid contulisse. Vidimus enim, Gallos a poetis Alexandrinis Gigantum posteros appellatos esse. Constat porro [1]), Attalum regem in memoriam victoriæ a se de Gallis reportatæ opus, ut videtur, statuarium, quo Gigantum contra deos proelium, Atheniensium cum Amazonibus pugna, Marathonicum prœlium, denique Gallorum in Mysia clades expressa erant, Athenis collocasse. Præterea Ampelius in capite de miraculis mundi sic scribit: „Pergamo ara marmorea magna, alta pedes quadraginta cum maximis sculpturis, continet autem Gigantomachiam.“ Quam aram, ad tempora Pergami florentis a Wieselero [2]) recte relatam, ob victorias Gallicas Attali primi [3]) vel Eumenis secundi [4]) exstructam esse credimus. Apollodorus, Athenis natus, aulæ Pergamenæ conjunctus — Attalo tertio Chronica sua dedicavit [5])

---

[1]) Paus. I. 25. 2. — [2]) Giganten p. 184*. — [3]) Polyb. XVIII. 25, Paus. I. 4. 6, 8. 1, Strab, Liv. — [4]) Diod. fragm. XXXI. 21 Bekk. — [5]) Scymn. Ch. v. 16—49.

— ambo monumenta, ni fallimur, viderat. Unde collegerim, artifices Pergamenos Gigantes serpentipedes finxisse; alioquin iis, quæ de specie eorum narrat, addidisset, nonnullos iis formam humanam tribuere. Apollodorus scribit, Titanibus in Tartarum detrusis, Terram Jovi iratam Gigantes, Gigantibus victis, majore ira permotam Typhoeum peperisse, et Apollonius monstra a Terra Jovi irata edita novit. Apud Hesiodum autem Typhoei pugna Titanomachiam excipit. Atticæ ætatis scriptoribus de causa belli tacentibus, quo tempore ordo rerum, quem Apollodorus sequitur, inventus sit, prorsus nescimus. Crediderim tamen, Alexandrinos etiam hoc novasse; præterea, quæ de Alcyonei immortalitate et de Pallante habet, ab iisdem fontibus fluxisse. Neque enim illa cum iis, quæ Pindarus narrat et vasa ostendunt, facile conjungi possunt, et de Pallante, Gigante prorsus novo, Apollodorus ea narrat, quæ Euripides de Gorgone. Cætera, quæ Apollodorus solus habet, de Cælo Gigantum patre, de saxis et quercubus ardentibus, de oraculo diis dato, de Terra filios defendere conante, de Porphyrione Junoni vim inferente, de Hecate, de Mercurio Plutonis galea induto, de Parcis clavis æneis pugnantibus, de Nisyro a Co revulsa, de Euryto et aliis novis Gigantibus, quia locum Apollodori integrum supra attulimus, hic prætermittemus. Neque enim de fontibus, unde sumpta sunt, quidquam definiri potest. Hoc solum addimus, opinionis, quam Wieselerus [1]) sequitur, narrationem Apollodori, qualis nunc est, multo breviorem, quam olim fuerit, et ab eo, qui ambitum ejus contraxerit, interpolando corruptam esse, propterea quod neque ipse neque Clavierus [2]) et Welckerus [3]), qui primi integritatem

[1]) p. 145. — [2]) In præfatione editionis Apollodori. — [3]) D. epische Cyclus. I. p. 88—94.

Bibliothecæ mythologicæ servatæ in dubium vocaverunt, sententiam suam idoneis argumentis fulserunt, rationem a nobis habitam non esse. Neque enim ullius momenti est, quod liber neque multis neque bonis codicibus servatus neque a recentioribus (excepto Heynio) cum cura tractatus mendis et ineptiis non vacuus est. Neque recte statuit Welckerus, Apollodorum eleganter scripsisse necesse esse (doctis hoc grammaticis non semper cecidisse, satis constat). Neque verba poetica apud scriptorem res, quas narrat, e scriptis poetarum sæpe haurientem offendere debent.

QUÆ SCRIPTORES TEMPORUM ROMANORUM DE GIGANTIBUS TRADANT.

§ 1.

Gigantum fabulæ incrementa persequentes ad tempora Romana pervenimus, unde testimoniorum ingens numerus ad nos redundavit. Quibus consideratis apparet, fabulam illis temporibus non magnopere mutatam esse. Quod et per se verisimile erat. Vidimus enim, jam Alexandrina ætate ita amplificatam et exaggeratam fuisse pugnam deorum et Gigantum, ut ultra progrediendi facultas posteris erepta esset. Huc accedit, quod, discrimine Gigantum et Titanum et Typhoei et fortasse etiam Centimanorum pæne sublato, etiam nova e similibus et propinquis fabulis sumpta immiscendi facultas magna ex parte sublata erat. Quæ quum ita sint, supervacaneum est omnia temporis Romani testimonia ordine historico et ipsis scriptorum verbis enumerare. In plenioribus et luculentioribus afferendis eum ordinem sequemur, ut a poetarum Romanorum grege incipiamus, deinde ad poetas Græcos multo pauciores transeamus, postremo de testimoniis scriptorum prosæ orationis, quorum utilitas præcipua ea est, ut quæstioni de fabulis topicis sequenti capite instituendæ fundamenta jaciant, agamus.

Gigantum fabula pluribus verbis narrata est a duobus aureæ ætatis scriptoribus Latinis, Horatio et Ovidio. Hora-

tius in carmine quarto libri tertii, mente temperata et Musarum consiliis imbuta laudata, feroces et superbos funditus perire dicit: exempla esse Titanes et immanem turmam (Gigantes) a Jove fulmine deletam; illam brachiis fidentem juventutem (Gigantes) et fratres Pelion Olympo imponere conantes (Otum et Ephialtem) Jovi terrorem intulisse; sed quid Typhoeum, Mimantem, Porphyrionem, Rhœtum, Enceladum evulsos truncos jaculantem contra Minervam, Vulcanum, Junonem, Apollinem potuisse. Igitur, quod prorsus novum est, Aloidæ hic inter Gigantes contra deos pugnant; Typhoeum Gigantum socium jam apud Lycophronem vidimus. Cætera Horatiana cum Apollodori narratione egregie congruunt. — Ovidius in Metamorphosibus [1]) fabulas de Gigantibus et de quatuor ætatibus generis humani conflans narrat, Gigantes anguipedes et centenis brachiis instructos tempore ætatis ferreæ, montibus illis Thessalicis in aggerem congestis cælum aggressos, Jovis fulmine detrusos et ipsis illis montibus oppressos esse; Terram filiorum sanguine perfusam novum genus humanum, Lycaonem et æquales ejus, peperisse. In Fastis [2]), ubi eandem fabulam simili modo narrat, illis de ætatibus omissis, Apollodorum sequens narrat, belli causam fuisse, quod Saturnus cælo pulsus Terræ contra Jovem iram excitavisset. Hoc loco Gigantibus etiam millenas manus tribuit. — Multo plenius Gigantum bellum descripsit, qui Lucilius nuncupatur, Ætnæ carminis auctor, ubi poetarum de illo monte mendacia exagitans etiam hæc narrari queritur [3]): Gigantes Phlegræos anguipedes, montibus Thessalicis in cælum exstructis, sidera ingenti clamore ag-

---

[1]) I. 151 sqq. et 182 sqq. — [2]) V. 33. sqq. — [3]) v. 41—72.

gressos esse; Jovem magno ore tonantem, ventis adjuvantibus, montes fulminibus deturbasse, hostes in fugam vertisse, Enceladum Ætna obruisse; Martem quoque et cæteros deos pugnæ socios fuisse, Liberum propter res tum gestas in deorum numerum receptum esse. — Etiam Valerius Flaccus Gigantum bellum pluribus verbis narrat[1]: Gigantes Terrigenas a diis in Pallena victos a matre casus eorum miserenti in scopulos et trabes mutatos esse; Typhoeum vero, maximum horrorem, per mare fugientem et fulminis flammas pectore exhalantem a Neptuno Sicilia obrutum esse. Illa de Gigantibus a Terra mutatis nusquam alibi inveniuntur. — Gigantum fabulam ante tempora Martialis totorum carminum materiam fuisse, non constat. Is vero Julium Cerealem quendam, auctorem Gigantomachiæ et Georgicon, commemorat[2]. Wieselerus errat, Gauri luteum Gigantem ejusdem argumenti fuisse, scribens. Qui epigramma[3] perlegerit, bellum Trojanum longissimum et languide scriptum significari, intelliget. -- Ex ultimis denique litterarum Romonarum temporibus servata est magna pars (centum viginti octo versus primi) Gigantomachiæ Clandianeæ, carminis propter vim et vigorem describendi Ovidii ætate non indigni. Claudianus narrat, Terram invidia contra deos incitatam et ira propter Titanas punitos accensam monstra angues pro pedibus habentia in Phlegra edidisse et, quum imperio mundi promisso, tum Promethei, Atlantis, Tityi, Titanum injuriis commemoratis, ad arma contra deos vocasse. Ab altera parte Iridem deos omnes, etiam inferos, convocasse, Jovem convocatos oratione confirmasse. Signo his ab Æthere, illis a Terra dato, omnia misceri cœpta esse, Gigantibus

---

[1]) II. 16—33. — [2]) XI. 52. — [3]) IX. 50.

Oeten, Ossam, Athon, Pangæum, Rhodopen evellentibus et contra deos torquentibus. Sed Martem Pelorum et Mimanta Lemnum eruentem ense et hasta trucidasse, Minervam Pallanta, Echionem, Palleneum partim ense occidisse, partim Gorgonis capite in saxa vertisse. Porphyrione interea Delon e fundo maris revellere conante, nymphas Cynthicas Apollinis opem implorasse. Reliqua carminis perierunt. Nihilo minus, quæ fuerint, aliqua ex parte e fragmento Gigantomachiæ Græcæ Claudiani nomine inscripto, de quo infra dicendum erit, et e carmine sexto Apollinaris Sidonii, imitatoris Claudiani, colligere possumus. Primum dubitari non potest, quin Apollo, suis auxilio lato, Porphyrionem occiderit. Quo, ut recte statuit Wieselerus [1]), etiam hoc ducit, quod Terra filios hortans Porphyrionem ad Delphicam laurum Cirrhæaque templa occupanda incitat. Eadem his verbis:

Rapiat fulmen sceptrumque Typhoeus,
Enceladi jussis mare serviat,

aperte pugnam Jovis cum Typhoeo, Neptuni cum Encelado prædicit. Quocum congruit fere, quod in fragmento Græco Typhoeus a Jove et Neptuno, Enceladus a Iove cæditur; et quod Apollinaris Minervam alloquens dicit [2]):

Enceladus patri jacuit fratrique Typhoeus,
Euboicam hic rupem sustinet, hic Siculam,

sine dubio sic intelligendum est, ut Typhoeus Jovis, non Minervæ fratri occubuerit. Wieselerus contra omnia antiquitatis testimonia (quæ affert, non recte intellexit) de Hercule Typhoei victore cogitat [3]). Verisimile est igitur, apud Claudianum summos illos Gigantes, Typhoeum et Enceladum, a Jove et Neptuno, summis diis, superatos esse. — Ultimæ

---

[1]) Giganten p. 143. — [2]) VI. 27—28. — [3]) l. c. 151.

tres Gigantomachiæ adumbrationes in carminibus Apollinaris Sidonii [1]) inveniuntur.

Plenioribus narrationibus inter se et cum locis brevioribus eodem pertinentibus comparatis, quæ forma Gigantum fabulæ apud poetas Romanos fuerit, optime cognoscitur. Eos originem belli ab ira Terræ propter Saturnum et Titanes cælo pulsos repetere, jam vidimus. Species Gigantum a poetis Romanis semper ita describitur, ut serpentes iis pro pedibus sint [2]). Ovidius solus iis modo centena, modo millena brachia tribuit. Gigantes saxis et arboribus armatos unus Horatius novit, qui Enceladum truncos jaculantem facit. Apud Senecam [3]), Claudianum, Sidonium Apollinarem [4]) totos montes et insulas in cælum torquent. Alibi [5]) montibus non pro armis utuntur, sed Aloidarum modo ad viam in cælum struendam. Claudianum in carmine de raptu Proserpinæ [6]), ubi Gigantum cæsorum arma ab arboribus luci Ætnæi suspensa commemorat, arma, qualibus homines utuntur, significare voluisse, eo magis credo, quod ibidem Virgilium [7]) imitans Ægæonem centum simul ensibus armatum fuisse, narrat. Phlegra sæpissime commemoratur. Qui prœlium ad loca non fabulosa referunt, omnes fere Pallenen [8]) aut terras adjacentes [9]), Macedoniam, Thessaliam, Thraciam, locum ejus fuisse significant. Silius tamen Phlegræam pugnam ad Campaniam refert [10]), et Gigantes sub insulis Italicis jacentes sæpe

---

[1]) VI, IX. 73 sqq., XV. 17 sqq. — [2]) cfr. Wieseler l. c. annot. 11. Addo Lucan. IX. 656, Stat. Theb. V. 569, Sil. VI. 181. — [3]) Herc. Oet. 1139 sqq. — [4]) IX, 85 sqq., XV. 17 sqq. — [5]) Virg. Georg. I. 281 sqq, Hor. Od. II. 19. 21, cfr. Wieseler. p. 147. — [6]) III. 332 sqq. — [7]) Æn. X. 565 sqq. — [8]) Val. Flacc. II. 16 sqq. — [9]) Prop. IV. 10. 37, Sen. l. c. Stat. Theb. II. 595, Claud. Gigant. — [10]) VIII. 538, 655, XII. 143 sqq. cfr. Prop. I. 20. 9.

commemorantur, et Wieselerus [1]) fortasse recte suspicatur, Claudianum, ubi Gigantum spolia in silva Ætnæa pendentia commemorat, etiam pugnam in Sicilia factam esse significare. Typhoeum inter Gigantes contra deos pugnantem apud Horatium, Claudianum, Valerium Flaccum vidimus; addo locum ex Æneide [2]) de Gigantomachia accipiendum, ubi Typhoeus ipse Herculem non terruisse dicitur. E Centimanis Gyas apud Ovidium [3]), Briareus apud Statium [4]), ambo apud Senecam [5]), Ægæon apud Claudianum [6]), Briareus et Ægæon apud Apollinarem [7]) cum Gigantibus conjuncti sunt. E Titanibus Cœus apud Propertium [8]) et Iapetus apud Silium [9]) fortasse Gigantum socii sunt. Aloidas cum Gigantibus conjunctos Horatius solus præbet. Nomina Gigantum sæpissime commemorata sunt Enceladus et Mimas; rarius occurrunt Porphyrio [10]) et Rhœtus [11]), rarissime Eurymedon [12]) et, quos Claudianus et Apollinaris soli præbent, Pelorus, Pallas, Damastor (vel Adamastor), Echion, Palleneus, Alcyoneus [13]), Ophion [14]), Ephialtes [15]). Claudianus [16]) Enceladum summum Terrigenum regem, Valerius Flaccus Typhoeum maximum horrorem appellat. Deorum ubique celebrantur Juppiter et Minerva. Bacchi in leonem mutati cum Rhœto pugna commemoratur ab Horatio [17]), apud Valerium Flaccum [18]) Bacchus et Minerva deorum propugnatores sunt, apud Lucilium [19]) propter res contra Gigantes gestas in

---

[1]) p. 156. — [2]) VIII. 298. — [3]) Am. II. 1. 12 sqq. — [4]) Theb. II. 595 sqq. — [5]) Herc. Oet. 167 sqq. — [6]) Rapt. Pros. III. 345. — [7]) VI. 25. — [8]) IV. 8. 47. — [9]) XII. 147 sqq. — [10]) Hor. Od. III. 4. 54, Mart. XIII. 78, Claud. Gigant. 35 et 115. — [11]) Hor. Od. II. 19 23, III. 4. 55. — [12]) Prop. IV. 8. 48. — [13]) Claud. Rapt. Pros. III. 183. — [14]) ib. 348. — [15]) Apoll. Sid. VI. 25. — [16]) l. c. 351. — [17]) Od. II. 19. 21. sqq. — [18]) IV. 237. — [19]) v. 67. —

numerum deorum recipitur. Cæterorum deorum Vulcanus, Juno, Apollo ab Horatio[1]), Mars a Lucilio[2]), Neptunus a Valerio Flacco[3]), Mars, Neptunus, Apollo a Lucano[4]), Apollo et Mars a Statio[5]) commemorantur; in Gigantomachia Claudiani etiam fluviorum dii et manes, Pluto et Proserpina, ad arma vocantur. In narrationibus de Gigantum clade copiosioribus supra allatis Herculis mentio non fit. Neque tamen, quæ antiquiores de Gigantibus ab illo heroe victis tradunt, poetis Romanis ignota fuerunt; nam et ab Horatio[6]) Gigantum domitor appellatur et a Virgilio[7]) impavidus contra Typhoeum stetisse dicitur et apud Silium[8]) Gigantes prope Cumas ab Hercule prostrati esse narrantur. Gigas, quem Apollinaris Herculis labores ter enumerans[9]) nunquam omittit, sine dubio Antæus, celeberrimus Terrigena, est; de Alcyoneo, poetis Romanis pæne ignoto, minus recte cogitat Wieselerus[10]). Gigantes victos sub montibus ignivomis jacere, opinio est poetis Romanis cum Alexandrinis communis. Permulti Callimachum sequentes Ætnam vel Siciliam Enceladum premere narrant[11]). Ovidius[12]) tamen semper et Valerius Flaccus[13]) cum poetis antiquioribus consentiunt, Ætnæ ignem ab ardenti Typhoeo oriri; alii Pherecydem[14]) sequentes Inarimen (Pithecussas) Typhoeo impositam esse tradunt[15]). Silius, qui de Ætna sibi eo usque non constat, ut in eodem libro[16]) Catanen ardenti Ty-

---

[1]) Od. III. 4. 59 sqq. — [2]) v. 60. — [3]) II. 26. — [4]) VII. 146 sqq. — [5]) Theb. II. 597 sqq, Achill. I. 485 sqq. — [6]) Od. II. 12. 6. sqq. — [7]) Æn. VIII. 298. — [8]) XII. 143. (XVII. 649). — [9]) IX. 92, XIII. 11, XV. 141. — [10]) p. 153. — [11]) cfr. Wieseler p. 152; locis allatis addo Sen. Herc. Oet. 1157, Lucil. 70, Lucan. VI. 293, Stat. Theb. XI. 8. — [12]) Met. V. 346, Fast. I. 573, IV. 491. — [13]) II. 24. — [14]) cfr. Wieseler p. 152. — [15]) Virg. Æn. IX. 716, Sen. Herc. Oet. 1155, Lucan. V. 101, Sil. VIII. 541. — [16]) XIV. 196 et 579.

phoeo nimium vicinam esse dicat et paulo post Ætnam Enceladi spirantis rogum appellet, ubi agrum Cumanum describit, narrat [1]), Gigantes ab Hercule victos illam terram sibi impositam quatere, Prochyten insulam Mimantis, Inarimen Iapeti cubile esse; paulo post addit [2]), etiam Fregellas fumantem Gigantem texisse. Claudianus habet [3]), Alcyoneum, cæteris poetis Romanis ignotum, sub Vesevo monte jacere. Restat, ut commemoremus, Statium [4]) Asopum fluvium Giganteis favillis clarum dicere. Erant igitur, qui Gigantes in Sicyonia victos esse contenderent. Fabulæ alibi non commemoratæ origo ab eo petenda est, quod Asopus carbones forebat; ad quam rem explicandam alii [5]) narraverunt, Asopum Jovem Æginæ filiæ raptorem persequentem a deo fulmine in flumen suum repulsum esse. Quod Valerii Flacci proprium est, Gigantes victos a matre in scopulos et arbores mutatos esse, jam commemoravimus; etiam quod Claudianus solus tradit, arma eorum et pelles detractas a diis in silva Ætnæa suspensa esse, supra attigimus. Gigantes apud inferos vinculis ligati et tormentis puniti interdum [6]) commemorantur; apud Silium [7]) umbræ eorum inter Orci habitatores sunt. Convivium, quo dii victoriam celebrarunt, jocoso modo describit Martialis [8]); Apollinem cantu convivas oblectasse, narrat Seneca [9]). Genus humanum impium, quod diluvio Deucalioneo interiit, Terra Gigantum sanguine madefacta ortum esse, Ovidius [10]) narrat. Opinionem poetarum Alexandrinorum, Gallos Gigantum progeniem esse, ante oculos habuit

---

[1]) XII. 143 sqq. — [2]) ib. 529. — [3]) Rapt. Pros. III. 182. — [4]) Theb. VII. 731. — [5]) Apollod. III. 12. 6 cum nota Heynii. — [6]) Prop. IV. 4. 39, Stat. Theb. IV. 534. – [7]) XIII. 588. — [8]) VIII. 50. — [9]) Med. 335 sqq. — [10]) Met. I. 157 sqq.

Silius, ubi Flaminium de victoria sua Gallica dicentem facit[1]:

Quas ego tunc animas dextra, quæ corpora fudi
Irata Tellure sata,

et Gigantes Tarpeja pendentes rupe, quos Claudianus[2]) Romæ magnificentiam describens commemorat, sine dubio artis opus est Gallos Capitolium ascendentes exhibens. Locum ejus et genus definire difficile neque hujus disputationis est.

§ 2.

Poetarum Græcorum temporis Romani Nonnus in Anthologia Palatina[3]) Gigantum cladis poeta eodem jure dicitur, quo ipse Spartos Thebanos[4]), Orionem[5]), Terrigenas Tyri conditores[6]) Gigantes appellat. Nam Indi ejus, Bacchi adversarii, sunt Terræ filii. Præterea Alpum, Gigantem Siculum, Pelori promontorii incolam, monstrum multis faucibus præditum, saxorum et arborum jaculatorem, qui sæpe equitem cum equo devoraverat, a Baccho victum, in ordinem rerum gestarum sibi describendarum ille quidem non recepit; sed libro quinquagesimo quinto[7]) Tiresiam Pentheo et Alpum et piratas Tyrrhenos a Baccho victos narrantem inducit et libro vicesimo quinto[8]), ubi Bacchi et Herculis res gestas comparat, Geryoni Alpum opponit. Alpi figuram sic describit[9]):

---

[1]) V. 110 sqq. — [2]) In sext. consul. Honorii v. 45. — [3]) IX. 198. — [4]) IV. 427, 442, 453 etc. — [5]) XIII. 98. — [6]) XL. 535. — [7]) v. 172 sqq. — [8]) v. 236 sqq. — [9]) ib. 239 sqq.

Ἄλπον ἐχιδναίοις ἑκατὸν κομόωντα καρήνοις,
Ἠελίου ψαύοντα καὶ αὖ ἐρύοντα Σελήνην,
ἀστραίην πλοκάμοισι περιθλίβοντα χορείην.

Simili et statura et figura sunt Gigantes Phlegræi, quibuscum Bacchus post pugnam cum Perseo conflixisse narratur [1]). Juno enim, Bacchum implacabili odio persequens, Tellurem ad Indos Terrigenas ulciscendos incitaverat, et Tellus

αὐτογόνων θώρηξεν ὀρίδρομα φῦλα Γιγάντων.

Ut apud Claudianum, filios fratrum cæde commemoranda et dearum connubio promittendo accendit. Gigantum commemorantur Porphyrio, Chthonius, Peloreus, Alcyoneus, Enceladus, Typhoeus. Locus pugnæ est Thracia, arma Gigantum montes sunt, crines eorum serpentes. Bacchus thyrso et hedera et tædis pugnans omnes adversarios funditus delevisset, si non sponte e prœlio exiisset

δυσμενέας ζώοντας ἑῷ γενετῆρι φυλάσσων [2]).

Alio loco [3]), ubi plures Gigantes thyrso Bacchi quam fulmini Jovis occubuisse dicuntur, ducenæ manus eorum commemorantur, pedes anguini nusquam. Quod poetæ antiquiores tradiderant, Typhoeum solum contra Jovem pugnasse, et quod recentiores finxerant, eum Gigantum in prœlio Phlegræo socium fuisse, ita componit Nonnus, ut duos Typhones fuisse statuat, alterum majorem, cujus cum Jove bellum libro primo et secundo narrat, alterum minorem Phlegræum [4]). Verbi Gigantis ambitu ita dilatato, ut omnes Terrigenas complecteretur, consentaneum est, etiam illum Gigantem appellari [5]). Eadem de causa Damasen, ingens Terrigena Lydus, cujus cum maxima serpente pugna in clipeo Bacchi adumbrata erat, Gigas dicitur [6]).

---

[1]) XLVIII. 1–89. — [2]) v. 89. — [3]) XXV. 87 sqq. — [4]) XLVIII 77 sqq. — [5]) I. 176, 220 etc. — [6]) XXV. 486, 499, 512.

Fragmentum Gigantomachiæ Claudiani nomine inscriptum primus edidit Iriarteus, deinde, qui complures locos optime emendavit et lacunas aliquot demonstravit, Köchlyus [1]). Quantum video, nihil obstat, quominus carmen Græcum a Claudiano poeta Latino juvene compositum esse statuamus. Post exordium non invenustum, quo poeta in medio populo Alexandriæ tanquam in inquieto mari timidus virum quendam potentem ut deum marinum fluctibus imperantem invocat, ad Gigantum bellum narrandum transit; sed belli originem et initium ingens lacuna abstulit. Itaque in medias res rapimur. Gigas quidam saxum in Jovem torturus est; sed fulmen saxum in cinerem vertit. Sol Gigantes sibi obvios radiis occæcat. Duo Gigantes sitientes humi prostrati, alter flumen, alter mare sorbent. Minerva duos hostes, alterum hasta occidit, alterum capite Medusæ in lapidem vertit. Cypris inermis in prœlium it freta pulchritudine sua, cujus solus aspectus Gigantibus mortifer est. Typhoeus tridenti Neptuni et fulmini Jovis occumbit. Tum Enceladus a matre incitatus insulam cum montibus, arboribus, feris contra Jovem tollit; sed crebris fulminibus pressus in medium mare aufugit. Tum Juppiter rupem a Lycaonia terra abscissam conjicit et Gigas sub insula, quam ipse sustulerat, concidit. Wieselerus [2]) dubitat, Lycaonia terra Arcadiam significet an Lycaoniam Asiæ minoris. E loco Argonauticorum Orphicorum [3]), ubi insularum origo inde repetitur, quod Neptunus quondam Jovi iratus *Λυκαονίην γαίης κρηπῖδα* tridente percusserit, fortasse colligi possit, universæ terræ illud cognomen fuisse. Reliqua narrationis desunt. — In iisdem Argonauticis Gigantes Cæli et Terræ filii appellantur et auctores

---

[1]) Progr. Turic. 1851. — [2]) p. 144 not. 14. — [3]) 1284 sqq.

generis humani [1]); Callimachi verba supra citata de insula triquetra Enceladi onere imitando exprimuntur [2]); denique Phlegra mons est, qui solis meridiani radios a Cimmeriorum terra intercludit [3]). — Etiam apud Quintum, qui sæpe heroas suos cum Titanibus, Gigantibus, Typhoeo comparat, Enceladus Siciliam sustinens commemoratur, sed ita, ut modo a Jove [4]), modo a Minerva [5]) victus esse dicatur. — In Anthologia Græca Gigantum rarissime mentio fit. In epigrammate Phædimi [6]), ubi Apollo Gigantem arcu occidisse dicitur, præstat cum Meinekio [7]) de Porphyrione quam cum Brunckio de Pythone cogitare; etiam Tityos Terrigena significatus esse potest. In epigrammate adespoto [8]) Apollo, in alio [9]) Bacchus *Γιγαντολέτης* vocatur. Epigramma Antipatri [10]):

Ταύρου βαθὺν τένοντα καὶ σιδαρέους
Ἄτλαντος ὤμους καὶ κόμαν Ἡρακλέους
σεμνὰν θ' ὑπήναν καὶ λέοντος ὄμματα
Μιλησίου Γίγαντος οὐδ' Ὀλύμπιος
Ζεὺς ἀτρόμητος εἶδεν, ἄνδρας ἡνίκα
πυγμὰν ἐνίκα Νικοφῶν Ὀλύμπια.

Jacobsius recte de pugile Milesio, propter vires Gigante a poeta appellato, intellexit. Quæ Witteus [11]), adhibitis ineptiis Ptolemæi Chenni [12]) et nummis Milesiis, in quibus leo expressus est, de Leonte Gigante Milesio excogitavit, vana sunt. Restant (nam de ænigmate [XIV 28] nondum, quantum scio, explicato tacebimus) tria epigrammata de operibus humanis ingentibus, quæ a poetis Gigantum manibus con-

---

[1]) 18 sqq. — [2]) 1257. — [3]) 1129 sqq. — [4]) V. 641 sqq. cfr. Opp. Cyn. I. 273 sqq. — [5]) XIV. 582. sqq. — [6]) Anthol. Pal. XIII. 22. — [7]) Delect. Anthol. Græc. p. 149. — [8]) Anthol. Pal. IX. 525. — [9]) IX. 524. — [10]) VI. 256. — [11]) Annal. d. Inst. arch. VI. 345 sqq. — [12]) V. p. 192.

fecta esse dicuntur, unum Philippi [1]) de portu Julio ad Puteolos ab Agrippa constructo (Cyclopum opus dicitur ab Antiphilo [2]), alterum Antipatri Sidonii [3]) de nescio qua mole exstructa, tertium, quod superiore capite afferendum fuit, Archimeli [4]) de ingenti nave Hieronis regis.

Carmina de Gigantibus nunc deperdita scripserunt Scopelianus sophistes a Philostrato [5]) commemoratus et Dionysius quidam, e cujus libris tribus Stephanus nonnulla de de locis Græciæ septentrionalis hausit. Vixit ille Trajano imperatore, hujus tempus ignotum est.

§ 3.

Gigantum fabulæ formam a poetis Græcsi Latinisque temporis Romani usurpatam ad Alexandrinam proxime accedere, abunde vidimus. At prosæ orationis scriptores multa nova præbent, præcipue quod non solum, quæ poetarum scriptis divulgata erant, secuti sunt, sed etiam, quæ a patribus filiis tradita passim in Græcia et in terris barbaris a Græcis occupatis in ore hominum versabantur, receperunt. Quatuor hic scriptores maximi sunt momenti, Diodorus, Strabo, Pausanias, Philostratus.

Diodorus Herculis res gestas narrans scribit [6]), eum diis contra Gigantes Pallenes incolas auxilium tulisse; Jovem, prœlio confecto, deos, qui affuissent, et duos mortalium mulierum filios, Herculem et Bacchum, Olympiorum nomine ornasse. De tempore prœlii Diodorus et Apollodorus discrepant, ille, tauro Cretensi domito et ludis Olympiis institutis, hic, Troja

---

[1]) IX. 708. — [2]) VII. 379. — [3]) VII. 748. — [4]) Athen. V. p. 209. — [5]) Vit. Soph. I. 21. — [6]) IV. 15.

et Co captis, Gigantes victos esse, tradentes. Paucis capitibus post[1]) Diodorus Timæum sequens scribit, Herculem a Geryonis insula revertentem in campo Phlegræo agri Cumani, diis adjuvantibus, Gigantes plerosque interfecisse. In libro quinto, qui de insulis est, Rhodi rebus antiquissimis narratis addit[2]), famam esse, *γενέσθαι κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐν τοῖς πρὸς ἕω μέρεσι τῆς νήσου τοὺς κληθέντας Γίγαντας. ὅτε δὴ καὶ Ζεὺς λέγεται καταπεπολεμηκὼς Τιτᾶνας ἐρασθῆναι μιᾶς τῶν Νυμφῶν Ἰμαλίας ὀνομαζομένης καὶ τρεῖς ἐξ αὐτῆς τεκνῶσαι παῖδας.* In quibus verbis mendum inesse, satis apparet. Neque enim eosdem Gigantes et statim post Titanes appellare potuit, et rursus, si iidem non sunt, omnis nexus narrationis deest. Etiam fabulam Cretensium affert[3]), Jovem totum fere orbem terrarum perlustrantem latrones et impios exstinxisse, æquitatem et libertatem condidisse; *ὅτε δή φασιν αὐτὸν καὶ τοὺς Γίγαντας ἀνελεῖν, ἐν μὲν Κρήτῃ τοὺς περὶ Μόλινον, κατὰ δὲ τὴν Φρυγίαν τοὺς περὶ Τυφῶνα.* Addit, ante pugnam Cretensem Jovem soli, cælo, terræ sacra fecisse; sacra victoriam et hostium defectionem portendisse, Musæum ad Jovem defecisse, Gigantes deletos esse; etiam alios Gigantes in Pallene Macedonica et in agro Cumano propter impietatem et violentiam a Jove interemptos esse. Quæ Diodorus, ut vult, e Libyum fabulis hausta, de Ægide ignem spiranti a Minerva occisa et de Gigantibus hac de causa contra deos a Terra emissis narrat[4]), supra ad locum Ionis Euripideæ commemoravimus. — Strabo, ubi de Pallene Macedonica agit[5]), Ephorum sequitur, ubi de agro Cumano[6]), Polybium; scribit enim, deorum et Gigantum pug-

---

[1]) IV. 21. — [2]) V. 55. — [3]) V. 71. — [4]) III. 70. — [5]) Epit. Vat. l. VII. 25. — [6]) V. 243.

nam prope Cumas factam esse nulla alia de causa credi, quam quod propter fertilitatem multi eam terram armis petiissent. Paulo post tamen addit [1]), nonnullos credere, agrum Cumanum, quod igne et sulphure et aquis calidis plenus est, Phlegram appellari et aquam atque ignem e Gigantum vulneribus fulmine inflictis prorumpere. Fabulam Coam, Nisyrum insulam a Co revulsam Polybotæ Giganti a Neptuno injectam esse, Strabo eodem, quo Apollodorus, modo narrat [2]); addit tamen, nonnullos dicere, Gigantem sub ipsa Co jacere. Prorsus nova est fabula [3]), Gigantes ultimos ab Hercule victos sub Mycono insula jacere; proverbium inde, ut vult Strabo, ortum: *πάνθ' ὑπὸ μίαν Μύκονον*, parœmiographi Græci [4]) de iis, qui uno judicio damnati erant, interpretantur (*ἐπὶ τῶν μιᾷ δίκῃ καταδικασθέντων*). Nova est etiam fabula Calabrica a Strabone allata [5]), qui e pugna in Phlegra Campaniæ facta superessent, Leuternios appellatos ab Hercule pulsos in regionem Italiæ Salentinorum promontorio vicinam confugisse; vestigia eorum ostendere et fontem graveolentem ad oppidum Leucam et Leuterniam nomen illi litori inditum. Maxime tamen a vulgari de Gigantum internecione fabula abhorrent, quæ litoris Bospori Cimmerii incolæ narrabant [6]), Venerem, quæ Phanagoriæ colebatur, Apaturum appellatam esse, propterea quod, Gigantibus deæ vim parantibus, Terræ filios singulos recipiens Herculi, quem occulto loco posuisset, necandos dolose tradidisset. Veram illius nominis originem inde repetendam esse, quod Phanagoritæ cultum Veneris cum Apaturiis, quem diem festum gentilitatis, exceptis Ephesiis et Colophoniis, omnes Iones agebant [7]), conjunxerint,

---

[1]) V. 245 — [2]) X. 489. — [3]) X. 487. — [4]) I. p. 445, II. p. 605 ed. Leutsch. — [5]) VI. 281, cfr. (Aristot.) De mirab. ausc. 97. — [6]) XI. 495. — [7]) Herod. I. 147.

demonstrat C. O. Müllerus in Prolegomenis Mythologiæ [1]).

Pausanias in Arcadicis scribit [2]), prope Alpheum flumen et oppidum Trapezuntem, ubi Arcadum reges olim habitabant [3]), esse locum Bathos appellatum, ubi ignis e terra exeat; Arcades illic fulminibus, procellis, tonitribus sacra facere dicentes, illum esse locum prœlii deorum et Gigantum, non Pallenen Thraciam. Affert deinde tres locos Odysseæ de Gigantibus, unde colligit, Homerum eos mortales habuisse; serpentes vero Gigantibus pro pedibus fuisse, stultam fabulam esse, et aliis locis apparuisse et præcipue in Syria, ubi, derivato Oronta fluvio, arcam plus undecim cubitorum cum cadavere humano ejusdem longitudinis repertam esse; de qua re Apollinem Clarium a Syris consultum respondisse, Orontem [4]) repertum esse, Indum genere. Addit Pausanias, mirum non esse, si terra humida sole calefacta primos homines ediderit, Indiam maximos homines genuisse. Egregie demonstrat hic locus Pausaniæ, illius tempore verbum, quod est Gigas, jam de omnibus Terræ filiis usurpatum esse. Præterea narrat Pausanias [5]), Methydriensium fabulam esse, Hoplodamum et alios Gigantes in monte Thaumasio Rheæ gravidæ contra Saturnum auxilium ferre paratos fuisse; quin etiam Megalopoli in templo Æsculapii ossa ingentia unius illorum Gigantum ostendi [6]); denique in pago Manthurensium prope Tegeam Minervam equestrem appellatam esse, quod in prœlio Gigantum equos suos in Enceladum immisisset [7]). — Cum Pausania de Gigantibus optime consentit Philostratus. Nam Apollonium Tyanensem dicentem inducit [8]), sibi persua-

---

[1]) p. 401. — [2]) VIII. 29. — [3]) Paus. VIII. 5. 4. — [4]) Orontes a Nonno sæpe commemoratur. — [5]) VIII. 32. 5, 36. 2. — [6]) VIII. 32. 5. — [7]) VIII. 47. 1. — [8]) Vit. Ap. Tyan. V. 16.

sum esse, Gigantes quondam fuisse; documento enim esse, quod in multis terris talia corpora, ruptis sepulchris, appareant. Eandem sententiam copiosius exponit Philostratus in Heroicis [1]), ubi rusticum Chersonesi Thraciæ incolam narrantem facit, suis temporibus, fissa Orontæ ripa, Aryaden quendam aut Indum aut Æthiopem apparuisse; Sigeum promontorium corpus Gigantis duo et viginti cubitos longum ostendisse, de quo Apollinem respondisse, se ipsum Trojam defendentem eum occidisse; in Co insula reperto cadavere duodecim cubitorum, Protesilai oraculum peregrinum obtegere jussisse, esse eum Gigantem *τῶν βεβλημένων*; Lemni et Imbri alios Gigantes repertos esse; in insula Co Meropum Terrigenarum, in Thessalia Aloidarum, Neapoli, ubi multi Gigantes sub Vesuvio jacere dicantur, Alcyonei ossa ostendi; denique in Pallene, Phlegra poetarum, multa Gigantum corpora et imbribus et terræ motibus nudari et sub terra fremitum larvarum audiri; quin Herculem ipsum, ne quis de corporibus staturam humanam longe superantibus dubitaret, ossa Geryonis Olympiæ in templo Jovis posuisse. Etiam heroas ingenti magnitudine, Orestem, Ajacem, alios, repertos esse, commemorat Philostratus. In Imaginibus [2]) tabulam describit, in qua pictus fuit Gigas insula obrutus et ignis fluvios ore emittens, Juppiter fulmina conjiciens, Neptunus insulam tridente concutiens. Addit, Typhoeum sub Sicilia, Enceladum sub Italia sic nondum mortuos, sed semper morientes jacere narrari. Alius locus [3]) ostendit, ei etiam fabulam de Encelado sub Ætna animam agente notam fuisse.

Cæterorum scriptorum Stephanus Byzantinus non paucas Gigantum sedes commemorat [4]). De Pallene auctorita-

---

[1]) 668—71. — [2]) II. 17. — [3]) Vit. Ap. Tyan. V. 16. — [4]) s. v. *Παλλήνη, Ἀλμωπία, Ἱσπανίαι, Ἀρκαδία, Βεσβίδιον, Δαμασκός.*

tem sequitur Theagenis, qui in Macedonicis Ephori modo narraverat, Gigantes, populum superbum et inhumanum, illius pæninsulæ incolas, ab Hercule deletos esse. Theagenis proprium est, fabulam de diis Herculi opem ferentibus inde ortam esse, quod inter ipsum prœlii tempus fulminaverit et tonuerit [1]). De Almopia, Macedoniæ parte, et de Hispania habet Stephanus, illam ab Almope, hanc ab Hispano Gigantibus nomen traxisse. Inter nomina Arcadiæ etiam Gigantida affert, quum Hesychius [2]) et Etymologici Magni auctor [3]) Lyciam Gigantiam et incolas primos Gigantes appellent. E libro primo Agathoclis de Cyzico Stephanus affert, hanc urbem, a Proserpina conditam, Gigantis nomen habere; præterea, Gigantibus quondam Rhyndaci fluvii ostium saxis claudere conantibus, Proserpinam, Cyzico timentem, saxa illa medio mari fixisse; ita Besbicum insulam ortam esse, ubi postea deam una cum Hercule Gigantes reliquos (num, qui e pugna Phlegræa effugerant?) occidisse. Denique de Damasco narrat Stephanus, Ascum Gigantem una cum Lycurgo Bacchum vinctum in flumen conjecisse; Mercurium, liberato Baccho, Asco cutem detraxisse; urbem victi Gigantis nomen servare. Quocum comparari potest, quod Procopius Cæsareensis apud Tzetzem [4]) Damascum *Διὸς τρόπαιον κατὰ Γιγάντων* appellat, et quod Pausanias Damascenus [5]) prope vicinam Antiochiam Gigantes ab irato deo in lapides conversos monstrari et Pagram Gigantem in eadem regione fulmine ictum esse narrat. — Ad Hispaniam Gigantum prœlium refertur etiam in Scholiis Iliadis [6]), ubi Gi-

---

[1]) cfr. Eusth. ad Dionys. v. 327. — [2]) s. v. *Γιγαντία*. — [3]) s. v. *Γιγαντία* et Bekker Anecd. I. p. 232. — [4]) ad Lycophr. v. 688. — [5]) Müller. Fragm. hist. Græc. IV. p. 469. — [6]) ad II. VIII. 479.

gantes propter Saturnum regno pulsum irati Tartessi magnum contra Jovem bellum movisse dicuntur; Jovem victis et in Tartarum conjectis Saturnum regem dedisse; Ophioni tamen, Gigantum maximo, Ophionium montem imposuisse. In qua narratione mira Titanes et Gigantes confusos esse, et aliis vestigiis apparet et eo, quod Justinus [1]) Tartessiorum saltus Titanum strage claros commemorat. Eadem Scholia [2]) narrationem non minus miram de Polydora, sorore Achillis, quæ in Iliade Sperchio fluvio Menesthium peperisse dicitur, afferunt. Scholiastes Homero doctior scit, non Sperchium, sed Pelorem Gigantem, qui se fluvio illo abdidisset, Menesthii patrem fuisse. Idem Gigas postea Neptunum fugiens in Sperchium insiluisse et vulnere, quod aversus accepisset, mortuus esse dicitur. — Mimantem promontorium Erythræum Scholiastes Odysseæ [3]) Gigantis nomine appellatum esse tradit. — De Pallene, Gigantum sede antiquissima, Solinus [4]) eadem fere atque Philostratus habet et præterea, ingentia saxa illic sparsa Gigantum belli vestigia esse. — Denique de Campania Dio Cassius tradit [5]), Vesuvio Tito imperante incenso, multos credidisse, Gigantes contra deos arma movere; nam effigies eorum in fumo conspectas et tubas auditas esse et ante cladem illam multos ingenti statura homines et in monte et in regione vicina et in aere apparuisse.

Præter novas Gigantum sedes scriptores temporis Romani etiam alia nonnulla nova suppeditant. Quod apud Lucianum [6]) dii, Gigantum timore perculsi, in Ægyptum fugiunt et animalium formas induunt, sumptum est e fabula Typhoei [7]) jam Gigantis. — Aristides, unus e paucis scriptoribus Græcis, qui

---

[1]) XLIV. 4. 1. — [2]) ad II. XVI. 174—76. — [3]) ad Od. III. 172. — [4]) IX. 6—7. — [5]) LXVI. 22. — [6]) Sacr. 14. — [7]) Pind. fr. 68 (61).

Gigantum pedes anguinos commemorant, Minervæ pæne totam victoriæ gloriam tribuit [1]). — Apud Parœmiographos Græcos [2]) sextus dies faustus esse dicitur, propterea quod Gigantes illo die a diis victi esse dicantur. — In Scholiis Iliadis [3]) traditur, originem nominis Herculis inde repetendam esse, quod novercæ clamore vocatus Porphyrionem occiderit; quam rem jam Apollodorum in fontibus suis invenisse, suspicamur. — Servius tradit [4]), Bacchum, victis Gigantibus, Naxi triumphasse. — Plutarchus [5]) animalia prorsus immania et prodigiosa, luna in Gigantum prœlio a solito cursu deflectente, orta esse scribit. — At Dio Chrysostomus [6]) tanquam opinionem vulgo acceptam commemorat, genus humanum a Titanibus aut Gigantibus ortum esse. — Constat, grammaticos fabulas Græcas perscrutatos esse, ut animalia, quorum vocabulis astrologi in describendo cælo signa appellaverant, invenirent. Fabulas, quum bestias, quibus opus esset, non semper præberent, interdum, ut cœlo accommodarentur, mutatas esse, admodum verisimile est. In libello, qui Eratosthenis *Καταστερισμοι* falso inscribitur, Juppiter in Gigantum prœlio capræ, quæ eum nutrivisset, pelle tectus fuisse, capra postea inter sidera posita esse dicitur [7]); præterea Bacchum, Vulcanum, Silenos, Satyros contra Gigantes asinis vectos esse, Gigantes asinorum voce perterritos fugisse, asinos victores esse sidus asellorum prope cancrum [8]). Addit Hyginus [9]), qui eadem affert, alios credere, Tritonis concham illius terroris lymphatici causam fuisse. Præterea Hyginus [10]) habet, serpentem ursorum vicinam a

---

[1]) Minerv. 10—11. — [2]) I. p. 401. ed Leutsch. — [3]) ad II. XIV. 323. — [4]) ad Æn. III. 125. — [5]) Quæst. conv. VIII. 9. — [6]) or. XXX. p. 556 R. — [7]) Catast. 13. — [8]) ibid. 11. — [9]) Poet. Astron. 23. — [10]) ibid. 3.

Gigantibus in Minervam, a Minerva ad polum cæli conjectam esse. — Nomina Gigantum a Tzetze [1]) triginta quatuor, ab Hygino [2]) viginti quatuor, a Scholiasta Hesiodi [3]) sex enumerantur. Quæ unde sumpta sint, dijudicari non potest; sed quum Otus, Ephialtes, Typhoeus, Ægæon in catalogo Tzetzæ, Otus, Ephialtes, Cœus, Astraeus, Iapetus in catalogo Hygini inveniantur, sine dubio statuere licet, illos catalogos Alexandrino tempore antiquiores non esse. Sex nominum, quæ Scholiastes Hesiodi affert, quatuor ei cum Apollodoro communia, duo, Phrutus (Bentleius [4]) Rhœtus vult) et Obrimus, nova sunt. — Scholiastas magis etiam quam poetas Titanes et Gigantes confudisse, mirum non est. Exempla præbent Servius [5]), qui Bacchum a Gigantibus dilaceratum esse tradit, et Scholiastes Iliadis [6]), qui Atlantem unum e Gigantibus appellat. — Ad ultimos inscientiæ fines procedunt Mytographi Vaticani a Majo editi, qui non modo Atlantem cæterosque Titanes cum Gigantibus confundant [7]), sed etiam reliquos deorum inimicos, Tantalum, Tityum, Ixionem Gigantes appellent [8]), Enceladum et Briareum eundem habeant [9]), Terram, id est Cererem, ob sui et Tantali derisionem iratam Titanes et Gigantes ex se contra Saturnum et postea contra Jovem genuisse narrent [10]). Reconditam doctrinam hic latentem Wieselerus sibi habeto. Ne Ptolemæi quidem Hephæstionis viro doctissimo fabellis invidemus. Videtur enim etiam qui Hercheri de hoc scriptore libellum [11]) non legerit, tamen suo Marte intelligere debere, Ptolemæum

---

[1]) Theogon. v. 87 sqq. — [2]) Fabul. (in stemmate deorum). — [3]) ad Theogon. 185. — [4]) ad Hor. Od. II. 19. 23. — [5]) ad Georg. I. 166. — [6]) ad II. XVIII. 486. — [7]) II. 53. — [8]) I. 12, 13, 14. — [9]) II. 53. — [10]) I. 11. — [11]) Ueber d. Glaubwürdigkeit d. Neuen Geschichte d. Ptolemæus Chennus. Leipz. 1856.

non grammaticum esse veras fabulas ex abditis fontibus colligentem, sed hominem aut jocosum aut potius improbe mendacem sua ipsius stulta inventa pro genuinis fabulis venditantem. Exempla duo, unde cætera cognoscantur, e narrationibus ejus de Gigantibus afferam: moly herbam in Odyssea commemoratam ortam esse e sanguine Gigantis, qui insulam Circes aggrediens a Sole Circæ opem ferenti interfectus esset; nomen herbæ a pugna derivatum esse, album floris colorem Soli deberi [1]). Altera narratio hæc est [2]): Thetidem sex filios, quos peperisset, paulatim concremasse; Achillem, septimum, quum flamma dextrum talum ejus jam consumpsisset, a Peleo servatum esse; tum Chironem, cadavere Damysi, Gigantis celerrimi, in Pallene effosso, hujus talum in pedem Achillis inseruisse; quod postea Achilli mortis causam fuisse; nam quum Apollo eum ad Trojam insequeretur, fugienti os suppositum excidisse.

Præter interpretationem fabulæ nostræ a Theagene propositam afferenda est sententia Cornuti philosophi [3]), victoriam deorum et cladem Gigantum de moribus rudibus et insociabilibus hominum primorum a diis in melius mutatis intelligendas esse. Quæ Varro [4]) excogitavit, tam mira sunt, ut ipsius verba afferam: „in diluvio aliquos in montes confugisse cum utensilibus, qui lacessiti postea bello ab his, qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis superioribus vicerunt; unde factum est, ut dii superiores dicerentur, inferiores vero terrigenæ; et quia de humillimis reptabant ad summa, dicti sunt pro pedibus habuisse serpentes“. Etiam verba Macrobii [5]) integra appono: „Gigantas autem quid aliud fuisse,

---

[1]) IV. p. 190. Westermann. — [2]) VI. p. 195. — [3]) De nat. deor. XX. p. 115 Osann. — [4]) ap. Serv. ad Æn. III. 578. — [5]) Sat. I. 20. 8—9.

credendum est quam hominum quandam impiam gentem deos negantem et ideo æstimatam deos pellere de cælesti sede voluisse? Horum pedes in draconum volumina desinebant: quod significat, nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente."

Monumenta artis temporis Romani, opus statuarium unum, cælata nonnulla, nummos aliquot, gemmas permultas, inter quas est opus admirabile Athenionis, quia ad fabulam cognoscendam nihil novi præbent, hic prætereunda esse, putamus. Accurata cognitio eorum optime adjuvatur iis, quæ Wieselerus collegit et disputavit [1]).

---

[1]) p. 157--167.

DE GIGANTIBUS FABULARUM TOPICARUM.

§ 1.

Loca, ubi Gigantes aut vixisse aut superati esse aut mortis vestigia reliquisse a scriptoribus narrantur, sunt Pallene, Pelagonia, Almopia, Athos, Sperchei ripa, Sicyonia, Arcadia, Lemnos, Imbros, Myconos, Creta, Rhodos, Cos, Lycia, Mimas, Sigeum, Phrygia, Lydia, Cyzicus, Syria, Phanagoria, Campania, Fregellæ, Leuternia. Pithecussæ, Sicilia, Hispania (Tartessus). Quorum in plerisqne fabulas topicas, quas scriptores secuti sint, fuisse, etsi solus Pausanias, ubi de Gigantibus Arcadicis scribit, se Arcadum narrationes referre affrmat, certum haberi potest. Nihilo minus si quis propter multitudinem locorum enumeratorum credat, jam antiquitus Gigantum fabulam in tot terris et insulis tamquam radices egisse, vehementer erret. Nam de sola Pallene testimonium Alexandri tempore antiquius exstat, Pelagonia, Athos, Cos, Campania, Sicilia, Pithecussæ Alexandrinis, cætera loca omnia Romanis demum temporibus commemorantur. Deinde, quod gravius est, in non paucis illorum locorum Gigantum fabula alii antiquiori aperte successit. Scimus, Pherecydem [1]) Typhoeum Pithecussis oppressum esse scripsisse, et inter

---

[1]) Fragm 14 ap. Müllerum.

omnes constat, apud Æschylum[1]) Ætnam, apud Pindarum modo[2]) Ætnam solam, modo[3]) Ætnam atque *τὰς ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέας ὄχθας*, id est Campaniæ colles, eundem deorum adversarium premere. Etiam in Phrygia Gigantum fabulam narrationem de Typhoeo antiquiorem loco movisse, Diodori verba[4]) demonstrare nobis videntur. Apud Sicyonios quoque duas de carbonibus, quos Asopus ferebat, fabulas fuisse, supra[5]) vidimus; quarum, si ætatem testimoniorum sequaris, illa de Gigantibus a Statio tradita recentior est. Etiam de Cyzicenis Gigantibus, quos Rhyndaci ostium obstruere voluisse, Stephanus[6]) solus narrat, nonnihil dubitamus. Nam Apollonius[7]), qui similem fabulam tradit, quum Argonautæ ad Cyzicum appulissent, Terrigenas vicinæ pæninsulæ habitatores senis brachiis præditos, quum Cyzici portum obstruere conarentur, ab Hercule et Argonautis interemptos esse, Gigantum nomine non utitur, et Scholiastes ejus[8]) illa monstra *Θεσσαλοὺς Ἐγχεφογάστορας* appellat. Verisimile est igitur, Gigantes apud Stephanum secundum usum loquendi recentiorem Terræ filios significare. Fabulas etymologicas, quibus Stephanus[9]) Almopiæ et Hispaniæ, Scholiastæ Homeri[10]) Sperchei fluminis et Mimantis montis nomina interpretantur, vix quisquam inter antiquas referet. Wieselerus[11]), etsi fabulam de Pelore Gigante, quem Neptunus in Sperchei ripam persecutus sit, non novit, nihilo minus, propterea quod Thessali Jovem Pelorum colebant, de Pelore aliquo Gigante fabulam fuisse, recte colligit. Etiam fabula Sicula a Nonno tradita[12]), in Poloro promontorio Gigantem olim habitasse,

---

[1]) Prometh. 363 sqq. — [2]) Ol. 4. 6. — [3]) Pyth. 1. 15. sqq. — [4]) supra p. 63. — [5]) p. 57. — [6]) supra p. 67. — [7]) Argon. I. 941 sqq. — [8]) ad I. 989. — [9]) supra p. 67. — [10]) supra p. 68. — [11]) p. 175. — [12]) supra p. 58.

sine dubio ad promontorii nomen explicandum ficta est. Fabulæ Syriacæ [1]) aut barbaræ originis, aut, si Græcæ, recentioris ætatis sunt. Fabulæ Fregellana [2]) et Calabrica [3]) sine dubio tum demum, quum de Gigantibus in Campania victis narrari cœptum esset, ortæ sunt. Quæ Philostratus [4]) de ingentibus ossibus in Sigeo, Imbri, Lemni repertis tradit, etiam secundo post Christum sæculo tales narrationes exstitisse, ostendunt. Quibus omnibus consideratis, apparet, e magno illo numero locorum pauca restare, in quibus jam antiquitus fabulas topicas de Gigantibus fuisse, cum aliqua veri similitudine suspicari possimus. Restant præter Pallenen Pelagonia, Athos, Arcadia, Myconos, Creta, Rhodos, Cos, Lycia, Lydia, Phanagoria.

Ut Gigantum fabulam alias fabulas loco movisse vidimus, sic ipsam interdum victam cessisse, per se verisimile est, et landandus est Wieselerus, qnod mythologiam Græcam ad vestigia Gigantum latentia invenienda perscrutatus est. Sed doctrina, quæ ei maxima est, abutens tanta audacia et temeritate disputavit, ut, quæ vera vel probabilia invenit, inter aliena, dubia, perversa, quæ collegit et excogitavit, pæne delitescant. Exemplo sint, quæ de Gigantibus Argolicis disputavit [5]). Eurymedontem illum, quem Homerus Gigantum regem appellat, in fabula Argolica deprehendisse sibi videtur; Perseum enim, Danaæ filium, ipsum illum Eurymedontem esse. Miram profecto et inauditam et gravissimis argumentis firmandam sententiam! Wieselerus sic ratiocinatur: Eurymedontem, quem Euphorio Junonem virginem compressisse narrat, non diversum esse a Porphyrione illo in pugna Gigantum Junoni vim inferenti; Perseum porro a poetis

---

[1]) supra p. 67. — [2]) supra p. 57. — [3]) supra p. 64. — [4]) supra p. 66. — [5]) p. 168–69 et 171.

Alexandrinis [1]) Eurymedontem appellari, et Cyclopes Lycios, quorum patria olim Gigantia appellata sit, ministros ejus fuisse [2]); ergo Perseum, Eurymedontem, Porphyrionem tria nomina ejusdem personæ esse; præterea C. O. Müllerum [3]) recte suspicatum esse, Perseum Argolicum, Persen Titanem, Hecatæ patrem, Persen Solis filium, Æetæ et Circes fratrem, eundem esse. Denique, ne nominibus solis res conficiatur, addit, Perseum cum Cyclopibus solem et fulmen, Porphyrionem, unde nomen acceperit, flammam et fulmen significare. Quæ interpretationes quam perversæ sint, vix opus est monere. Neque enim Gigas, Terræ filius, fulmine occisus, cæleste fulmen significare ullo modo potest, neque Cyclopibus quidquam cum sole est; nam, ut hoc solum virum doctissimum admoneam, solem unum esse, constat, Cyclopes plures. Perseus num sol sit, valde dubium est. Sed sit sane. Igitur Porphyrio quoque sol est. Igitur sol in pugna Phlegræa in Tartarum conjectus est. Absurdiora vix cogitari possunt. Deinde quid audacius est quam Eurymedontem, deorum hostem, Junonis violatorem, cum Perseo confundere, qui, diis adjuvantibus, res maximas gesserit, et de quo hoc solum impium narretur [4]), eum Junonis amicitia commotum contra Bacchum arma movisse? — Præterea Wieselerus fabulam Argolicam de Danaidibus ad Gigantum fabulam proxime accedere putat; nam et Ægypti filios a Danaidibus cum Minerva arte conjunctis necatos cum Gigantibus a Minerva occisis apte comparari posse, et in catalogis Ægyptidarum apud Apollodorum [5]) et Hyginum [6]) com-

---

[1]) Appollon. Argon. IV 1512, Euphor. fr. 16 et 67 Meineke. — [2]) Pherecyd. fr. 26 Müller. — [3]) in Gerhard. Hyperb-Röm. Studien. I. p. 287. — [4]) Paus. II. 20. 4, 22. 1, 23. 7, Nonn. XLVII. 475 sqq. — [5]) II. 1. 5. — [6]) Fab. 170.

plura nomina, quæ alibi Gigantibus tribuantur, occurrere. Verum illa fabularum similitudo perexigua est, neque hæc nominum convenientia ullius momenti esse potest. Nam ex Ægyptidarum nominibus uno et quinquaginta ab Apollodoro allatis septem tantum, e septem et quadraginta apud Hyginum quinque tantum nomina Gigantum inveniuntur, et, quod animadvertendum est, ex his undecim nominibus (unum enim apud utrumque scriptorem invenitur) quatuor tantum, Enceladus, Hippolytus, Ephialtes, Clytus (Clytius), ad nobiliora Gigantum nomina pertinent, reliquorum Asterius in fragmento Pepli Aristotelici, Chthonius apud Nonnum, Obrimus apud Scholiasten Hesiodi, Alcis (Alceus), Ægius (Ægeus), Argius, Bromius (Bremes) apud Tzetzen demum occurrunt. Talem nominum consensum, non est, cur miremur; mirum esset potius, si in tanto Ægyptidarum violentorum nominum numero nulla reperirentur, quæ de Gigantibus quoque usurpata essent. — Quod inter Gigantes Tzetzæ Panoptes quidam est, quem ab Argo Ionis custode diversum non esse, Wieselero facile concedimus, nihil aliud ostendit quam, quod jam supra vidimus, scriptores temporum recentiorum omnes Terræ filios Gigantes appellasse. Quod propter lacum Alcyoneum prope Lernam situm Wieselerus Alcyoneum Gigantem in fabulis Argolicis fuisse suspicatur, vix dignum est, quod commemoretur.

Atticam suos Gigantes habuisse, C. O. Müllerus ostendere conatus est in docta et eleganti dissertatione, quæ inscribitur „Die erhobenen Arbeiten am Friese des Pronaos vom Theseustempel zu Athen, erklärt aus dem Mythus von den Pallantiden“ [1]), ubi Pallantidarum fabulæ duas for-

---

[1]) Gerhard. Hyperb-Röm. Studien. I. p 276—96.

mas fuisse, suspicatur, alteram recentiorem et historicam a Plutarcho [1]) servatam: quum Theseus Trœzene Athenas venisset, Pallantis, Ægei fratris, filios spe regni dejectos bellum parasse; Theseum, cui præco consilia eorum prodidisset, partem eorum in insidiis, ubi se occultassent, oppressisse; cæteros, quorum dux ipse Pallas esset, diffugisse; alteram antiquiorem et mythicam, quæ ex Attica in Pallenen Thraciam immigrasset, de Gigantibus a Minerva victis. Antiquioris fabulæ vestigium Müllerus in fragmento Ægei Sophoclis servatum esse putat, ubi Pallas *ὁ σκληρὸς καὶ Γίγαντας ἐκτρέφων* ab Ægeo dicitur. Sed verbum *ἐκτρέφων* ostendit, Gigantes illos filios Pallantis esse, et Pallas etiam apud Sophoclem Ægei frater est. Apparet, Ægeum fratris filios mataphorice tantum ad violentiam eorum significandam Gigantes appellare potuisse; cujus usus exempla Æschylea et Lycophronea supra vidimus. Itaque apud Sophoclem eadem fabulæ forma atque apud Plutarchum invenitur. Vix majorem probandi vim habent, quæ Müllerus de opere cælato disputat, quod prœlium virorum partim solitis armis, partim lapidibus pugnantium exprimens in parte orientali zophori est, qui Thesei templi cellam ornat [2]). Quamvis enim, qui hic superantur, Pallantidæ sint, quod perdubium esse, demonstravit Ulrichsius [3]), qui prœlium Atheniensium cum Eurystheo agnoscit, etiam artifex formam fabulæ recentiorem expressisse dicendus est. Neque enim antiquioris neque recentioris artis Gigantibus similes sunt, qui a Müllero Pallantidæ habentur, neque deorum spectantium tres Gigantibus faventes ab artifice expressi essent. Tertium Mülleri argumentum est ratio, quæ in compluribus aliis fabulis Minervæ

---

[1]) Thes. 13. — [2]) C. O. Müller Denkmäler. d. a. K. I. tab. 21—22. — [3]) Reisen II. p. 135 sqq.

cum Pallante aliquo vel Pallade intercedit. Nam et in Gigantum prœlio apud Apollodorum Minerva Pallantem occidit, occisum cute spoliat, et quintam Minervam Pallantem patrem virginitatem suam violare conantem interemisse, Cicero [1]) scribit, et Pallas Titan apud Hesiodum [2]) Victoriam, quam a Minerva separari posse, Müllerus negat, e Styge procreat, et Pallas, Pallantii Arcadici conditor, a Dionysio Halicarnassensi [3]) Chrysæ, quæ a Minerva non diversa esse videtur [4]), pater dicitur, et apud Apollodorum [5]) Palladem, Tritonis filiam, quacum educabatur, Minerva invita interficit. Colligit igitur Müllerus, Pallantem et Pallantidas Atticos, quos incolæ Pallenes pagi, ubi inclytum Minervæ templum erat, sibi vindicabant, in antiquiore fabula artius cum dea conjunctos fuisse. Admodum verisimilia hæc esse, non negabimus; sed cum Müllero longius progredi et de Pallantidis Gigantibus Atticis et de Gigantum fabula ex Attica in Pallenen Thraciam ab Eretriensibus portata conjecturas facere audacissimum videtur.

§ 2.

Admodum memorabile est, quod a Pausania discimus, Arcades affirmasse, prœlium deorum et Gigantum non in Pallene Thracia, sed in loco agri Megalopolitani, ubi flamma e terra exiret, factum esse. Qui locus, Bathos appellatus, quoniam Trapezunti, ubi Lycaon et filii fulmine interempti esse dicebantnr, proximus erat, et quoniam Lycaon e san-

---

[1]) De nat. deor. III. 23. 59. — [2]) Theog. 383 sqq. — [3]) Antiq. Rom. I. 68, cfr. 61, 62, 33. — [4]) Welcker Gr. Götterlehre I. p. 308. — [5]) III. 12. 3.

guine cæsorum Gigantum natus esse ab Ovidio dicitur, suspicio oriatur necesse est, fabulas Gigantum et Lycaonis artiore quodam vinculo conjunctos esse. Quæ conjunctio a Wieselero solo animadversa [1]) ut cognoscatur, narrationes de Lycaone accuratius considerandæ sunt. Ipse Pausanias [2]) tradit, Lycaonem, Pelasgi filium, patris exemplo rudem vitam primorum hominum cultiorem reddidisse; nam et Lycosuram, oppidum omnium antiquissimum, eum condidisse et Jovem Lycaeum appellasse et ludos Lycaeos instituisse; sed quum puerum immolasset et aram Jovis sanguine humano conspersisset, regem statim in lupum conversum esse. Quod summam fabulæ attinet, non multum a Pausania dissidet Ovidius [3]) narrans, Lycaonem crudelem et impium regem fuisse; Jovem ad animum ejus explorandum tectum regis subiisse; tum Lycaonem, ut experimento disceret, utrum deus an homo esset hospes, obsidis Molossi trucidati membra partim cocta, partim tosta ei apposuisse; Jovem fulmine in regiam conjecto Lycaonem in lupum mutasse, deinde omnem gentem humanam præter Deucalionem et Pyrrham inundatione delevisse. Pausaniam et Ovidium complures scriptores recentissimi [4]) sequuntur, quorum nonnulli [5]) puerum mactatum Nyctimum filium, alii [6]) Arcadem nepotem Lycaonis fuisse scribunt. Non magnam hucusque inter fabulas, quas comparamus, convenientiam esse, satis apparet; verum etiam hoc facile perspicitur, Lycaonis fabulæ formam, quam adhuc vidimus, sibi ipse et iis, quæ de cultu Jovis Lycaei scimus, vehementer repugnare. Neque enim, qui mores populi sui

---

[1]) p. 172—173. — [2]) Paus. VIII. 2. — [3]) Met. I. 210 sqq. — [4]) cfr. H. D. Müller. Mythologie der griechischen Stämme II. p. 83 sqq, ubi omnia accurate collecta sunt. — [5]) Serv, Arnob, Clem. Alex, Nonn. — [6]) Hygin, Erat. Catast.

mitigaverit et cultum provexerit, impio facto deorum iram excitare convenit, neque Arcades, si a majoribus accepissent, Jovem a Lycaonis mensa abhorruisse, Lycaonis nefarium facinus non modo Platonis et Theophrasti, verum, ut videtur, etiam Pausaniæ temporibus tenere[1]) ausi essent. Eo magis igitur necesse est formam fabulæ antiquiorem ab Apollodoro[2]) servatam considerare. Qui narrat, Lycaonem quinquaginta filios superbos et impios genuisse; quorum ad impietatem cognoscendam quum Juppiter pauperis hominis forma simulata advenisset, illos Mænalo fratrum maximo auctore filium Arcadis hominis mactasse et exta humana sacris dapibus (*τοῖς ἱεροῖς*) admixta hospiti proposuisse; Jovem, mensa eversa et Lycaone cum cæteris filiis occiso, Nyctimo natu minimo pepercisse; Terram enim sublatis manibus et dextra Jovis prehensa iram ejus sedasse; Nyctimo regnante diluvium Deucalionis evenisse, ut nonnulli crederent, propter Lycaonidarum impietatem. Cum Apollodoro congruunt fere Nicolaus Damascenus[3]), Hyginus[4]), Tzetzes[5]), quorum hic quoque Nyctimum mactatum esse narrat. Apparet igitur, antiquiores Lycaonem innocentem ruina filiorum sceleratorum in perniciem tractum esse credidisse; præterea illa de Lycaone in lupum converso recentioris originis esse. Quo magis verba *λυκάων* et *λυκαῖος* cum Curtio[6]) et Welckero[7]) a radice *ΛΥΚ* in „lux“ Latinorum et in nonnullis vocabulis Græcis servata derivanda est. Jovem Lycæum lucis deum fuisse, etiam eo confirmatur, quod ara ejus in summo monte Lycæo erat, quod ad hanc aram ad orientem solem versus duæ columnæ erant

---

[1]) K. F. Hermann Gottesdienst. Alterth. § 27 2 et 5. — [2]) III. 8. 1. — [3]) fr. 43 ap. C. Müllerum; cfr. Suidas v. *λυκάων*. — [4]) Fab. 176. — [5]) ad Lycophr. v. 481. — [6]) Gr. Etym. I. p. 130. — [7]) Gr. Götterlehre I. p. 476.

aureas aquilas sustinentes, quod denique, qui ἄβατον ejus intrasset, umbram amittere putabatur [1]). Sed restat etiam in Apollodori narratione difficultas sacrificii humani in cultu sollennis, in fabula a deo severissime puniti. Quæ difficultas vix tolli posse videtur, nisi statuimus, genuinam et Arcadicam fabulæ formam eam esse, quam Pausanias sine dubio in ipso fabulæ loco audivit, Jovem ad Trapezuntem Gigantes superasse. Cæteræ narrationes extra Arcadiæ fines apud alios Græcos, qui Lycæa sacrificia inhumana et detestabilia habuerint, ortæ esse videntur. Neque difficile est intelligere, qua de causa Lycaon et sacrificia illa crudelia in fabulam de Gigantibus inserti sint. Nam sicut nomen Lycaonis prave derivatum narrationis de rege in lupum converso origo fuit, sic omnia illa, quæ de mensa humana carne fœdata narrantur, e cærimoniis vicini montis sumpta esse videntur ad nomen Trapezuntis explicandum. Nam Græcos sine dubio fugerat, illud nomen ea de causa oppido inditum esse, quod, ut Trapezus Pontica [2]), in monte situm erat mensæ formam ostendenti [3]). Quod Pausanias in ipsa Arcadia de Lycaone in lupum converso audivit, opinioni nostræ non obest; neque enim mirum est, si novæ fabulæ formæ, a poetis celebratæ et toti Græciæ traditæ, etiam in abditam patriam ejus penetraverunt.

Quæ H. D. Müllerus [4]) de Lycaone et Lycaonis filiis scripsit, etsi perversissima sunt, tamen quia Müllerus solus illam fabulam diligentius tractavit, omnino præterire non possumus. Statuit hic mythologus neque doctrina neque

---

[1]) Paus. VIII. 38. — [2]) Ritter Erdkunde. VIII. 879, Barth Reise von Trapezunt nach Skutari p. 5. — [3]) Curtius Peloponnesos. I. p. 305. — [4]) Mythol. d. gr. Stämme II. p. 83—123.

sagacitate neque sermonis elegantia destitutus, sed in opinionibus præjudicatis tenendis et excolendis obstinatissimus et in deos et heroas Græcos Procrustæ more sæviens, fabulæ illius veram et genuinam formam sic constituendam esse: Lycaonem, filio mactato et Jovi appossito, ea pœna affici, ut in lupum mutetur. Sumit præterea, Jovem Lycaeum et Lycaonem eandem personam esse; Jovem igitur ipsum in lupum mutatum filium suum devorare. Ad quam rem satis miram interpretandam affert, lupum imaginem esse chthoniam; igitur fabulam de Jove Lycæo filium comedente idem significare atque similem fabulam de Saturno Jovem infantem devorante: fertili anni tempore Jovem deum cælestem, Olympium, salutarem esse; ut vero calor æstivus segetes adurere cœperit, Jovem in deum chthonium, perniciosum, ea, quibus ipse vitam dederit, perdentem mutari. De fabula, qualis ab Apollodoro servata est, statuit, quinquaginta Lycaonis filios, ut quinquaginta Actæonis canes, de diebus canicularibus intelligendos esse; quod non mutentur, sed fulmine deleantur, fabulæ rationi alienum esse et fortasse interpolatori deberi; verum tamen sensum ejus eo apparere, quod Nyctimus fratribus superstes sit; nomen enim ipsum naturam ejus chthoniam satis ostendere; præterea inundationem Deucalioneam, quæ illo regnante evenisse dicatur, imbres hiemales significare; quæ vero perniciosa sint, omnia ad deos chthonios pertinere. Percommode accidit, ut Müllerus ipsam de Lycaone fabulam perversissimo modo constituerit. Nam si fundamentum, quo conjecturæ ejus audacissimæ nituntur, corruit, ipsæ conjecturæ corruant necesse est, neque nobis opus est singula vitia argumentationis ejus, manifesta præterea neque quemquam facile decipientia, ostendere. Atqui regulis artis criticæ vehementissime repugnat, quum

scriptores antiquiores non modo nesciant, Lycaonis filium immolatum esse, sed etiam aut *ἕνα τῶν ἐπιχωρίων παῖδα* aut obsidem Molossum Jovi appositum esse, tradant, nihilo minus ab ultimæ ætatis scriptoribus sumere, Lycaonem filium jugulasse. Quasi Apollodorus et Ovidius scelus commissum minuere voluerint. Immo, quod Servius, Hyginus, Tzetzes atque similes de Lycaonis filio occiso tradunt, e fabula Tantali et Pelopis irrepsisse, admodum verisimile est.

§ 3.

Wieselerus [1]) operam dedit, ut in fabulis Bœoticis Gigantum vestigia ostenderet; sed quæ de Typhoeo, Sphinge, Aloidis, Orione, Tityo, Martis serpente, Spartis collegit, omnia aliena sunt. Nihilo minus jam abhinc annos quadraginta tres Buttmannus in disputatione de Minyis temporis antiquissimi [2]) nullo modo digna, quæ propter librum C. O. Mülleri ejusdem argumenti e memoria doctorum excideret, recte, ut videtur, statuit, fabulam Orchomeniam de Phlegyis fabulæ de Gigantibus Phlegræis artissime conjunctam esse [3]). Nam et nomina *Φλέγρα* et *Φλεγύα* (Phlegyarum oppidum) tam similia sunt, ut duæ formæ ejusdem nominis dici possint (neque enim *Φλεγύα* a *Φλέγρα* longius abest quam *νέκυς* a *νεκρός*, *μικύς* a *μικρός*), et fabulis, quæ de utrisque narrantur, magna convenientia est. Phlegyæ Orchomenii primum commemorantur in hymno Homerico in Apollinem Pythium, ubi poeta deum sic alloquitur [4]):

ἵξες δ' ἐς Φλεγύων ἀνδρῶν πόλιν ὑβριστάων,
οἳ Διὸς οὐκ ἀλέγοντες ἐπὶ χθονὶ ναιετάασκον
ἐν καλῇ βήσσῃ Κηφισίδος ἐγγύθι λίμνης.

---

[1]) p. 175. — [2]) Mythol. II. p. 194—245. — [3]) l. c. p. 225. — [4]) v. 100 sqq.

Deinde Pherecydes [1]) narraverat, Amphionem et Zethum, propterea quod Phlegyæ finitimos latrociniis vexarent, Thebas muris cinxisse; sed post mortem fratrum Eurymachum Phlegyarum regem urbem expugnasse; quum vero plura injuste fecissent, eos Jovis consilio ab Apolline deletos esse (*κατεταρταρώθησαν* unus codex habet). Ephorus [2]) Daulida sedem eorum fuisse, et Phocenses pro *ὑβρίζειν φλεγυᾶν* dicere affirmaverat. Pausanias in antiquitatibus Orchomeniis [3]) scribit, mortuo Eteocle, Orchomeni rege secundo, dominanationem Phlegyæ, Martis et Chrysæ, Sisyphi neptidis, filio contigisse; tum omnem terram Phlegyantida et novum oppidum, quod Phlegyas condidisset, et in quod Græcorum bellicosissimos collegisset, Phlegyam appellatam esse; paulatim vero Phlegyas (sic enim illos appellatos esse) dementia et audacia incitatos a cæteris Orchomeniis defecisse et finitimos populatos esse, quin ipsum templum Delphicum a Philammone et Argivis frustra defensum adortos esse; tandem deum gentem impiam continuis fulminibus et terræ motibus delevisse; qui superessent, peste mortuos esse, paucos tantum in Phocida confugisse. Quos Panopeum occupasse et Panopensium gentis auctores habitos esse, ex alio loco Pausaniæ [4]) apparet. Alibi [5]) commemorat, in bello septem ducum contra Thebas Phlegyas e terra Minyade Thebanis auxilio venisse. Restat fabula ab Ovidio [6]), Philostrato [7]), Scholiasta Iliadis [8]) tradita, Phorbantem, ingentem pugilem, Phlegyarum ducem, quum vias Delphos ferentes infestissimas reddidisset, ab Apolline victum et occisum

---

[1]) fr. 102 ap. C. Müllerum. — [2]) Schol. Il. XIII. 301. — [3]) IX. 6. — [4]) X. 4. 1. — [5]) IX. 9. 2. — [6]) Met. XI. 413 sqq. — [7]) Imagg. II. 19. — [8]) ad XXIII. 660.

esse. Constat, C. O. Müllerum Minyarum Orchomeniorum historiam et reipublicæ descriptionem antiquissimam e fabulis eruere conatum esse. In qua descriptione Phlegyis ordinis bellici partes tribuuntur, qui se sensim a patria disjunxerit; nam Phlegyam et Minyam consobrinos esse in stemmate Orchomeniorum regum a Pausania tradito; igitur ambos populos consanguineos fuisse; neque de bellis, quæ post Phlegyarum secessionem inter se gesserint, quidquam narrari; igitur Phlegyas non coactos a Minyis se disjunxisse [1]). Quam interpretationem ferri non posse, neminem fugiet. Nam in civitate florenti et opulenta, qualis Orchomenos Minyarnm fuisse dicitur, bellatores, id est nobiles, non sponte a patria se disjungunt, ut latronum modo vivant, et, si vi expelluntur, plebei in urbe remanenti infestiores quam ulli populo externo sunt. Deinde, qui meminerit, quanta fingendi licentia stemmata regum Græciæ mythicorum composita sint, hoc solum e genealogia a Pausania tradita conjicere audebit, fabulas de Phlegyis Orchomeniam terram habitantibus fuisse. Multo potius ad rem veram et historicam spectat, quod idem Pausanias narrat, Phlegyas templum Delphicum populatos esse; versimile est enim, jam antiquissimis temporibus avaros finitimos divitias Apollinis concupiisse, et verarum populationum memoriam in fabulis servatam esse. Sed cum fabula de Phlegyis ab Apolline deletis aliam fabulam de eodem populo a Jove exterminato coaluisse, ex omnibus de Phlegyarum interitu narrationibus apparere nobis videtur. Nam apud Pherecydem, ubi ab Apolline interempti esse dicuntur, prorsus otiosum est, quod additur, *κατὰ Διὸς προαίρεσιν*. In narratione Pausaniæ, deum

---

[1]) Orchomenos p. 179 ed. secund.

Phlegyas continuis fulminibus et terræ motibus delevisse, qui superessent, morbo periisse, arma Jovis et Apollinis facile agnoscuntur. Ne in pictura qnidem Philostratea, ubi Apollo Phlegyarum ducem occidit, Juppiter prorsus abest; nam quercus, e cujus ramis Phorbas cæsorum viatorum capita suspenderat, fulmine percutitur. Huc accedit, quod in hymno Homerico Phlegyæ Jovis contemptores dicuntur. Quæ quum ita sint, suspicamur, fabulæ formam primam hanc fuisse, Phlegyarum populum impium et bellicosum in finibus Orchomeniorum, apud quos Juppiter Laphystius, ut in Arcadia Juppiter Lycæus, humanis sacrificiis placabatur, a Jove deletos esse; deinde impetus a populis vicinis in templum Delphicum factos effecisse, ut Phlegyæ jam antiquissimis temporibus talia ausi ab Apolline interempti esse dicerentur; denique ambas fabulas coaluisse; præterea, qui postea fabulis et antiquis nominibus abutentes Orchomeni historiam primam composuerunt, propterea quod Phlegyæ olim illam regionem habitasse dicebantur, Phlegyam in numerum regum Orchomeniorum recepisse.

Quæ suspicio magnopere confirmatur loco Servii [1]) a Buttmanno citato, ubi e scriptis Euphorionis affert, Phlegyas populum insulanum impium et sacrilegum fuisse; qua de causa Neptunum, ea parte insulæ, quam Phlegyæ tenerent, tridente percussa, omnes obruisse. Sed obstare videntur hi versus Iliadis [2]):

οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πόλεμόνδε μέτεισιν.
τῷ δὲ Φόβος φίλος υἱὸς ἅμα κρατερὸς καὶ ἀταρβής
ἕσπετο, ὅς τ' ἐφόβησε ταλάφρονά περ πολεμιστήν·
τὼ μὲν ἄρ' ἐκ θρήκης Ἐφύρους μέτα θωρήσσεσθον

---

[1]) ad Æn. VI. 618. — [2]) XIII. 298 sqq.

ἠὲ μετὰ Φλεγύας μεγαλήτορας· οὐδ' ἄρα τώγε
ἔκλυον ἀμφοτέρων, ἑτέροισι δὲ κῦδος ἔδωκαν.

In quibus versibus Apollodorus [1]), quem Strabo [2]) sequitur, Ephyros Crannonios, Phlegyas Gyrtonios interpretatus est, quæ sententia eo confirmatur, quod in fabulis illarum regionum Phlegyas Coronidis pater et Phlegyas Ixionis vel pater vel frater sæpius commemoratur. Sed sive Apollodori interpretatio vera est sive falsa, Homerus populum non fabulosum, sed sui temporis significare videtur. Itaque statuere cogimur, Homeri tempore populum, ut videtur, Thessaliæ a Phlegyis fabulosis originem ducere creditum et ideo interdum majorum nomine appellatum esse.

---

[1]) ap. Schol. Il. XIII. 301. — [2]) VII. fr. 14 et 16, IX. 442.

DE GIGANTUM FABULA UNIVERSA ET DE SIGNIFICATIONE EJUS.

§ 1.

Antequam ad ea, quæ nostrorum temporum doctis de universa Gigantum fabula placuerunt, accedimus, quæ, testimoniis antiquis consideratis et comparatis, aut certa aut verisimilia nobis videntur, paucis repetere utile erit. Certum igitur habemus, Gigantum nomen non a γῆ derivandum esse, sed ab ea radice, unde γαίω, γάνος, γαῦρος orta sunt, ut Gigantes aut superbi aut (armis) fulgentes verti possint. Quod ad ipsam fabulam attinet, si, minoribus omissis, majora tantum spectamus, duæ formæ ejus distinguendæ sunt, antiquior et recentior. Illa, ad quam omnia testimonia servata, quæ Alexandri tempore antiquiora sunt, pertinent, populum ostendit superbum et bellicosum, Terra genitum, forma humana, statura ingenti, a diis et Hercule in campo Phlegræ exstinctum. In fabula recentiore Gigantes ad Typhoeum proxime accedunt. Nam ut apud Hesiodum Typhoeus, sic apud recentiores Gigantes ad Titanes fratres ulciscendos cælum oppugnant, ut hic, serpentipedes sunt, denique a diis montibus ignivomis oppressi Typhoei supplicium patiuntur; quin ipsum illud monstrum inter Gigantes contra deos pugnasse, recentior fabula narrat. Cujus vestigia certa jam apud scriptores temporis Alexandrini inveniuntur, sed præ-

cipue floret apud scriptores ætatis Romanæ, ubi etiam Aloidæ, Centimani, Titanum nunnulli in Gigantum numerum recipiuntur, et forma eorum cum maximis exaggerationibus describitur. Interea etiam nominis Gigantum significatio ita amplificatur, ut omnes Terrigenas complectatur. Apollodori narratio a recentiori fabulæ forma non multum distat; nam Gigantes ejus Titanum ultores et serpentipedes sunt, et Enceladus Sicilia obruitur. Ex altera parte Typhoeus Gigantum socius non est, sed post Gigantes cæsos in tertium contra deos bellum a Terra irata emittitur. Quæ antiqua cum novis conjungendi ratio nescio an ipsi Apollodoro debeatur. Vidimus enim supra, quam callide difficultatem fabulæ antiquioris de Typhoeo et recentioris de Encelado sub Ætna jacenti conjungendæ vicerit. E compluribus terris et insulis Græcis, quæ ab incolis Gigantum patria et belli eorum sedes fuisse dicebantur, sola Pallene pæninsula testimonia antiquiora habet. Nihilo minus, considerata fabula Arcadica de Lycaone et filiis ejus, verisimile fit, antiquiorem fabulam de Gigantibus a Jove in Arcadia victis ab illa obscuratam esse. Præterea Gigantibus et Phlegyis Bœotiæ atque Phocidis tanta similitudo est, ut Phlegræ nomen hinc in Gigantum fabulam illatum esse, recte conjici posse videatur.

Welckerus[1]) omnia, quæ de Phlegra et de pugna deorum et Gigantum narrantur, ad recentiorem fabulæ formam refert; Porphyrionem enim, Alcyoneum, Ephialten, Enceladum nomina esse Typhoei ad vim ejus igneam significandam inventa; quæ nomina paulatim effecisse, ut plures Typhones fuisse crederentur; deinde poetas Titanum fabulam imitando renovantes Typhonum contra deos bellum finxisse; Gigantes

---

[1]) Gr. Götterlehre. I. p. 787—94.

eos appellatos esse, non Typhones, tum quod Terræ filii essent, tum quod corporibus ingentibus et viribus prodigiosis ad Gigantes antiquiores, quales in Odyssea, Theogonia, fabulis topicis sunt, generis humani auctores, proxime accederent. Apparet, Welckerum præcipue eo, quod Gigantomachia in Theogonia Hesiodea deest, commotum esse, ut talia statueret. Sed difficultas illa multo facilius tollitur, si statuimus, deorum poetam pugnam sibi quidem non ignotam, sed inter res gestas deorum et heroum medium quendam locum tenentem Heracleidum poetis aptiorem quam sibi credidisse. Deinde, si Gigantes Phlegræi Typhones sunt, cur Typhoeus ipse ante tempora Alexandrina et Romana nusquam neque apud scriptores neque in monumentis artis inter Gigantes pugnat? cur Gigantibus Phlegræis Typhoei serpentipedis forma non est? Præterea nomina illa, quæ Welckerus ad Typhoei naturam significandam ficta esse vult, omnia ejusmodi sunt, ut cuilibet viro vel dæmoni bellicoso conveniant; neque enim vir doctus multis persuadebit, Enceladum esse, qui intus (in Ætna) strepat [1]). Denique ipsum nomen Gigas a γῆ derivari non posse, supra vidimus, ut hæc quoque suspicio Welckeri, Gigantes antiquioris fabulæ et Terrigenas quarundam fabularum topicarum eosdem esse, concidat necesse sit.

Welckeri errores refutare conans Wieselerus ipse in errores maximos incidit. Nam primum nullo idoneo argumento fretus statuit, Gigantum contra deos pugnam e Theogonia Hesiodi excidisse [2]). Deinde versu Theogoniæ Tzetzeæ maxima audacia et levitate abutens contendit, Titanum φάλαγγας apud Hesiodum Gigantes esse [3]). Postremo Gi-

---

[1]) l. c. p. 792. — [2]) v. supra p. 13. — [3]) ibid.

gantes antiquisimæ fabulæ a Titanibus prorsus non diversos fuisse, etsi a poetis obscuratum sit, e fabulis topicis apparere scribit [1]). Cujus opinionis novæ et, si vera est, gravissimæ argumenta quærens ea, quæ Wieselerus de fabulis topicis collegit et disputavit, sæpius perlegi; sed pro argumentis leves tantum conjecturas e nominum paucorum similitudine pendentes inveni. Quæ de Eurymedonte Gigantum rege et Perseo Eurymedonte Argivo et Persa Titane non diversis disputavit, jam supra [2]) in fabulis Argolicis commemoravimus. Præterea Pallantem Pandionis filium [3]) et Pallantem Lycaonis filium [4]), ambo, ut vult, Gigantes, cum Pallante Titane et Asterium, qui in Peplo Aristotelico a Minerva interemptus esse dicitur et a Wieselero ad fabulas Creticas [5]) et Atticas [6]) refertur, cum Astræo Titane propter nomina conjungit.

§ 2.

Propterea quod Homerus Gigantes *λαὸν ἀτάσθαλον* appellat, jam Pausanias colligit, eum Gigantes mortales habuisse. Idem ostendit, quod Eurymedontis filiam *γυναικῶν εἶδος ἀρίστην* appellat. Ne Hesiodus quidem aliter credidisse statuendus est, etsi Furias et Nymphas eodem atque Gigantes partu editas esse narrat; nam etiam e Gorgonibus sororibus una mortalis, reliquæ immortales credebantur [7]), et in proœmio Theogoniæ Gigantes et hominum genus artius conjungi videntur. Batrachomyomachiæ quoque auctor Gigantes viros terrigenas appellat, et mors Gigantum ab eodem et Pindaro

---

[1]) p. 168. — [2]) p. 75 sqq. — [3]) p. 173. — [4]) p. 172—73. — [5]) p. 171. — [6]) p. 173. — [7]) Apollod. II. 4. 2. 7.

et Euripide commemoratur. Constat igitur, Gigantes fabulæ antiquioris homines esse. Apud recentiores autem inde a Callimacho immortales sunt, si quidem montibus obruti et ardentes vivunt. Attamen, qui ossa ingentia reperta ad Gigantes retulerunt, eos mortales credidisse necesse est.

Ipsum genus humanum a Gigantibus ortum esse, ad recentiorem fabulam pertinere videtur. Nam Ovidius primus hoc tradidit narrans, homines, qui diluvio Deucalioneo interierint, e sanguine cæsorum Gigantum ortos esse. Quod Ovidium e disciplina Orphica sumpsisse, Prellerus[1]) recte, ut videtur, contendit. Nam etsi Orphica doctrina hæc erat[2]), homines e Titanum fulmine combustorum cineribus ortos esse, Ovidii tempore jam multa a Titanibus ad Gigantes translata erant; et in ipsis Argonauticis Orphicis[3]) Gigantes *λυγρὸν σπέρμα* dicuntur, *ὅθεν γένος ἐξεγένοντο θνητῶν, οἳ κατὰ γαῖαν ἀπείριτον αἰὲν ἔασιν*, quem locum Schœmannus[4]) contra G. Hermannum optime vindicavit. Commemoravimus supra, Dionem Chrysostomum tamquam opinionem vulgarem afferre, hominum originem aut Titanibus aut Gigantibus deberi; item apud Homerum Eurymedontis filiam esse matrem Nausithoi Phæacum regis, et Gallos a Lycophrone et aliis Gigantum posteros appellari.

Wieselerus[5]), quippe qui Gigantes et Titanes eosdem olim fuisse, statuerit, illis, ut his, naturam divinam vel dæmonicam vindicare studens quum ad analogiam Gigantum, qui in fabulis populorum septentrionalium sunt, tum ad conjunctionem, quam quibusdam Gigantibus cum quibusdam diis intercedere vult, confugit. De illa analogia incertissima,

---

[1]) Gr. Mythol. I. p. 57 annot. 2. — [2]) Lobeck. Aglaoph. p. 565 sqq. — [3]) v. 18. — [4]) Opusc II. p. 139. — [5]) p. 179—80.

quia ab initio dissertationem nostram antiquitatis Græcæ et Romanæ finibus circumscripsimus, nihil dicemus. Argumentum, quod in conjunctione quorundam deorum et Gigantum positum est, C. O. Müllero debetur, qui in dissertatione de zophoro Thesei statuit, Pallantem, qui in fabulis nonnullis, quas supra [1]) enumeravimus, a Minerva vincitur, esse naturam hostilem et perniciosam ipsius deæ, quæ a miti et benefica vincatur. Verum omnes illi Pallantes num inter Gigantes referuntur? Nullo modo. Neque enim Pallas Minervæ pater, qui apud Ciceronem et Tzetzen a filia virginitatem defendenti interemptus esse dicitur, Gigas appellatur, et Pallas Stygis maritus Victoriæ pater apud Hesiodum Titan est, non Gigas. Pallantem Pandionis filium Gigantem esse, mera conjectura est. Ne ille quidem Pallas Arcadius, Pallantii oppidi conditor, qui Chrysæ et Victoriæ pater fuisse et Minervam educasse a Dionysio Halicarnassensi dicitur, Gigas nominatur, neque, quod unus e filiis Lycaonis est, ullius momenti esse debet. Nam etsi Lycaonis filii in fabula recentiore locum, quem in antiquiore Gigantes tenuerint, occupasse videntur, nomina tamen Lycaonidarum, quæ ab Apollodoro [2]) et Pausania [3]) servata sunt, jam Gigantibus fabulæ antiquioris fuisse, verisimile non est. Restat Pallas, qui solus Gigas appellatur, quem in pugna Phlegræa a Minerva occisum et cute spoliatum esse, Apollodorus tradit. Quæ igitur fabulæ forma prima et genuina sit, quæritur. Hæc, quæ ab Apollodoro traditur, nullo modo. Neque enim ab ullo scriptore antiquiori Pallas Gigas commemoratur, neque in ullo vase picto Pallas Minervæ adversarius est, verum semper Enceladus, neque facile intelligitur, quomodo a

---

[1]) p. 79. — [2]) III. 8. 1. — [3]) VIII. 3.

narratione Apollodori cæteræ fabulæ ortæ esse possint. Immo cum Müllero statuere cogimur, inter varias de origine Minervæ fabulas etiam eam fuisse, deam Pallantis cujusdam, quem ipsa occidisset, filiam esse; præterea Hesiodum, alia de Minervæ ortu narratione in Theogoniam recepta, fabula illa sic tantum uti potuisse, ut Pallantem illum Victoriæ patrem diceret. Alius postea poeta vel mythologus de Gigantum bello scribens Minervæ cum Pallante pugnam recepisse, quod autem ad Gigantum fabulam accommodari non potuit, Minervæ patrem illum Pallantem esse, omisisse videtur. E verbis Hesychii: *Ἐγκέλαδος ἡ Ἀθηνᾶ* nihil aliud colligendum esse puto nisi hoc: quum jam opinio vulgaris esset, Minervam propter Pallantem in Phlegra occisum Pallada nominari, poetam aliquem ad rem variandam alterius quoque Gigantis, quem in Phlegra vicisse dicebatur, nomen deæ dare ausum esse. — Ut Pallas et Enceladus cum Minerva, ita Asterius, Lycaon, Almops, Pelorus cum Jove artissime conjuncti esse, et partem tristem et perniciosam naturæ ejus significare Wieselero videntur. Verum Lycaon ad Gigantes omnino non pertinet, et quamquam Asterius et Pelorus Jovis cognomina sunt — Juppiter Asterius Cretæ [1]), Pelorus in Thessalia [2]) colebatur — tamen quia Asterius et Pelor Gigantes non a Jove, sed ille a Minerva [3]), hic a Neptuno [4]) victi esse narrantur, illa nominum convenientia non magni momenti est. Almopem Gigantem ab Almo Sisyphi filio [5]), Almum porro a Salmoneo non diversum esse, Salmoneum autem Jovem infernum (chthonium) esse, centendit Wieselerus programma Rempenii cujusdam [6]) citans. Quem librum quia adire non

---

[1]) Preller. Gr. Mythol. II. p. 117. ann. 4. ed. 2. — [2]) Athen. XIV. 45. — [3]) supra p. 32. — [4]) supra p. 68. — [5]) Paus. IX. 34. 10. 36. 1. — [6]) Salmoneus. Clausthal. 1847.

potui, donec melius doctus ero, opinionem de Jove Salmoneo inter conjecturas de diis infernis, quas mythologi agri Gottingensis multas et inanes protulerunt, referam. — Quæ de Gigantibus cum Neptuno artius conjunctis excogitavit Wieselerus, omni specie veri carent. Primum Aloidas commemorat, Neptuni filios, quorum alterum illum Ephialten esse vult, qui in vase picto a Neptuno, apud Apollodorum ab Apolline vincitur. Graviter eum hic errare, satis apparet; nam Aloidæ divelli non potuerunt: si Ephialtes jam tum in Gigantum numerum receptus esset, Otus frater ejus non abesset. Deinde Polyboten a Neptuno Co insula obrutum a Buta, quem Pausanias[1]) Athenis juxta Neptunum aram habuisse narrat, diversam non esse, suspicatur. Hic ne nomina quidem congruunt. Præterea Enceladum cum Neptuno conjungit. Cui opinioni vehementer obest, quod apud nullum neque poetam neque grammaticum Enceladus a Neptuno victus esse narratur. Sed Wieselerus non deterretur; nam equus Neptuni alicubi[2]) Enceladus nominatur, et Minerva, Enceladi victrix, est dea Neptunia! Similiter de Almope, Jove illo inferno, disputat; nam quod Almops Neptuni filius dicitur, eo explicari putat, quod Juppiter et Neptunus natura conjuncti sunt, et quod *Ζηνοποσειδῶν* in Asia colebatur, *θαλάσσιος Ζεύς* ab Hesychio commemoratur. Perditam causam, quæ talibus susidiis egeat!

§ 3.

Vidimus supra, scriptorum antiquorum nonnullos, Ephorum, Theagenem, Diodorum, Varronem, Macrobium, Gigantum fabulam de vero populo impio aut ab Hercule aut a

---

[1]) I. 26. 6. — [2]) ap. Eustath.

diis deleto interpretatos esse; alios cum Xenophane Gigantum bellum ad πλάσματα τῶν προτέρων retulisse. Nostro tempore, postquam scientia fabulas ab historia distinguere didicit, omnes Xenophanis sententiam probant. Sed de hoc dissentiunt, utrum fabula primorum hominum rudes mores et incultam vitam significet, an Gigantes de omnibus, quæ in rerum natura immoderate sæviant et mundi tranquillum ordinem turbare videantur, intelligendi sint. Illam sententiam, præeunte Cornuto philosopho, et alii secuti sunt et Welckerus[1]). Sed vehementer obest, quod in fabula antiquiore ne verbo quidem significatur, Gigantes homines primos et generis humani auctores fuisse, et quod illa opinio tum demum, quum et Gigantes cum Titanibus confundi et omnes Terræ filii, igitur αὐτόχθονες quoque humani, Gigantes appellari cœpti essent, orta esse videtur. Alteri sententiæ, quæ Gigantum fabulæ interpretationem non e vita generis humani, sed e rebus ad physicam, meteorologiam, geologiam pertinentibus petit, ea maxima est difficultas, quod Gigantes apud antiquiores non dæmones sunt, sed populus mortalium jam pridem exstinctus; nam illæ res naturales, quæ manent, dum rerum natura manet, tali imagine significari vix posse videntur. Hæc de re universa. Nunc ad singula huc pertinentia, quæ viri docti, præcipue Wieselerus[2]), excogitaverunt, transeamus.

Opinio est late pervulgata, Gigantes ignem subterraneum, qui per montes, quos nunc Vulcani nomine appellamus, exit, significare. Cui opinioni si opponeremus, ante ætatem Alexandrinam neminem scriptorem Gigantem sub monte ignivomo jacentem commemorare, responderetur, illam fabulæ signifi-

---

[1]) Gr. Götterlehre I. p. 787—90. — [2]) p. 180—83.

cationem Phlegræ nomine, quod jam Pindarus novit, confirmari. Quod tamen incertissimum est. Nam Pallenen pæninsulam, quam antiquam Phlegram esse, et Herodotus et fortasse Pindarus testantur, vestigium ignis subterranei ostendere, nemo tradidit, et Phlegyæ, quorum nomen ab eadem radice derivandum est et Hesiodi verbis de Gigantibus „τεύχεσι λαμπομένους" explicari posse videtur, jam in hymno Homerico ad viciniam Copaidis, ubi illa vestigia simili modo desunt, referuntur. Igitur supra suspicati sumus, Phlegræ nomen e fabula Phlegyarum impiorum et fulmine interemptorum in Gigantum fabulam illatum esse. Nihilo minus, etsi Gigantes ad ignis subterranei causam afferendam ficti et inventi esse nullo modo videntur, tamen postea illam interpretandi rationem adhibitam esse, negari non potest. Neque enim solum a poetis Alexandrinis et Romanis Gigantes sub Ætna, Pithecussis, Vesuvio, agro Cumano jacentes commemorantur, sed in fabula Arcadica, quam antiquam credimus, Gigantes in loco, ubi terra et antiquis et recentioribus temporibus interdum arsisse dicitur, superati esse narrantur, et prope Phanagoriam, alius de Gigantibus cæsis fabulæ patriam, colles quosdam modo limum fluentem, modo ingentes flammas emittere, satis constat [1]). Si quæritur, cur Pallene antiqua Phlegra habita sit, verba Solini de ingentibus ossibus illic repertis et de saxis immanibus illic jacentibus veram fortasse causam continent, quum et alibi ossa reperta Gigantum reliquiæ habitæ sint, et montes Myconi insulæ, cui suam de Gigantibus fabulam fuisse, Strabo scribit, ingentibus saxis obsiti esse dicantur [2]). Facile tamen apparet, inde colligi

---

[1]) Neumann, Die Hellenen im Skythenlande p. 553. — [2]) Ross Inselreisen II. p 29.

non posse, fabulam ossibus illis et saxis originem debere, ut, si illa non fuissent, ne fabula quidem futura fuerit. — Gigantibus cum fulmine conjunctionem quandam esse, si quidem aut fulmine interempti esse aut sub montibus ignivomis viventes fulminis flamma ardere narrantur, negari non potest. Verum Gigantes fulminis dæmones esse, Wieselerus frustra probare conatus est [1]). Nam quod apud Apollodorum quercus incensas in cælum jaculantur, nihil omnino demonstrat, et, quod in illo loco Arcadiæ, ubi Gigantes victi esse credebantur, fulminibus, tonitribus, procellis sacra fiebant [2]), Klausenius, quem Wieselerus citat, recte explicavit, statuens illis ut instrumentis victoriæ Jovis honorem habitum esse. Wieselerus sacrificia illa piacula, quibus dæmones victi illi quidem, sed semper tamen timendi placarentur, fuisse contendens, quærit, si instrumentis victoriæ, cur non et ipsi victori honos habitus sit. Quasi Juppiter ipse non in propinquo monte Lycæo, non Megalopoli summo studio cultus sit. Procellarum dæmones Gigantes esse, e loco Æschyleo colligit Wieselerus [3]), ubi Zephyrus Gigas appellatur. Verum Capaneus quoque et Tydeus apud eundem Gigantes appellantur. Quod deinde affert, in cista Cypseli Boream serpentipedem fuisse [4]), contra ipsius de Gigantibus opinionem est; neque enim Gigantes fabulæ antiquioris illa forma fuerunt. Suspicio denique, quam profert, Pagram Gigantem Antiochenum a Borea, quem Mallotæ Pagreum appellabant [5]), diversum non esse, si vera est, tamen a mythologia Græca aliena est. — Gigantes caliginem quoque significare, infelicissima

---

[1]) p. 182. — [2]) Paus. VIII. 29. 1. — [3]) p. 183. — [4]) Paus. V. 19. 1. -- [5]) Aristot. Vent. p. 973 a 1. Bekker.

conjectura est ejusdem viri docti [1]) inde orta, quod Gigantes apud Lucilium et Claudianum sidera aggrediuntur. Cælum aggredientes sideribus parcere nimis profecto ardua res esset. Lucretii locum [2]) de nubium variis formis si totum perlegisset Wieselerus, non contendisset [3]), illius poetæ æquales nubes solem obscurantes Gigantum ora credidisse; nam hoc solum dicit, nubes solem prætervolantes modo Gigantum figuris, modo montibus, modo beluis similes esse. — Ex interpretationibus Wieseleri, quarum rationem habendam esse duximus, una restat, Gigantes etiam fluvios significare [4]). Ad quam probandam quæ afferuntur, sane exigua sunt. Nam quæ de Oronta fluvio apud Strabonem [5]) narrantur, Typhonem serpentem fulmine ictum terram spiris suis sulcantem alveum fluvii effecisse, in terram se immergentem fontem ejus aperuisse, et ad Syrorum barbarorum fabulas sine dubio pertinet, et, quia Typhoeus recentioribus demum temporibus in Gigantum numerum receptus est, ad Gigantum significationem cognoscendam nihil valet. Non majoris momenti est, quod Brychon fluvius Pallenes a Lycophrone [6]) γηγενῶν ὑπηρέτης dicitur. Nam eo ipso, quod Gigantum minister appellatur, a Gigantibus distinguitur. Denique auctor Etymologici Magni [7]) Giganta fluvium in confiniis Pallenes et Macedoniæ, ubi etiam Gigonis promontorium et oppidum Gigonus [8]) fuerunt, commemorat. A quo nomine fortasse barbaro, fortasse a Græcis corrupto tota illa conjectura pendet. — Prellerus [9]), qui Gigantes Gigantomachiæ plerosque igneos esse vult, Gigantes Odysseæ, quia cum Neptuno et Phæaci-

---

[1]) p. 181. — [2]) IV. 136 sqq. — [3]) p. 182. — [4]) p. 182. — [5]) XVI. 751. — [6]) v. 1408. — [7]) s. v. Γιγωνίς — [8]) Herod. VII. 123. — [9]) Gr. Mythol. I. p. 487.

bus conjuncti sunt et Eurymedon nomen regis eorum apud Pindarum [1]) Neptuni cognomen est, de fluctibus marinis interpretatur. Quod tamen valde dubium esse, ipsi Prellero libenter concedimus. — Interpretatio, quam postremam commemorabimus, a Schœmanno [2]) inventa, a Prellero [3]) et Wieselero [4]) probata est, Alcyoneum Gigantem hiemem significare. Ad quam suspicionem probandam complura argumenta excogitata sunt, quæ tamen omnia satis dubia sunt. Primum ipsum nomen Alcyonei alcedinum, hibernarum avium, nomini propinquum esse volunt Wieselerus et Prellerus, et erat re vera fabula [5]), illius Gigantis filias post mortem patris in alcedines mutatas esse. Sed constat, alcedines aves tranquilli maris habitas esse, neque inde derivatum nomen terribili hiemis Giganti aptum esset; neque Prellerus Latinum „algeo" hic afferre debuit. Aliud argumentum ipsa fabula suppeditavit narrans, Alcyoneum Solis boves Erythia abegisse, quos boves abactos vires Solis hieme fractas significare, scribit Schœmannus. Sed etiam Odyssea de Solis bubus mactatis narrat [6]), ubi de hiemis victoria ne cogitari quidem potest, et quod in nonnullis vasis pictis Alcyoneus somno sepultus ab Hercule opprimitur, Prellerus ingeniose ille quidem de hiemis torpore interpretatus est, sed probandi vim, ubi cætera argumenta tam incerta sunt, hoc non habere, satis apparet. Denique comparatio Alcyonei et Geryonis, quem hiemem esse, et Schœmanno [7]) et Prellero [8]) persuasum est, minus apta esse videtur. Nam Geryon cum suis armentis Erythiæ habitasse, Alcyoneus Solis boves Erythia abegisse

---

[1]) Ol. VIII. 31. — [2]) Op. acad. II. p. 201. — [3]) l. c. I. p. 206. — [4]) p. 180. — [5]) Bekkeri Anecd. Gr. p. 377. — [6]) XII. 128. sqq, 352 sqq. — [7]) l. c. p. 200 sqq. — [8]) l. c. p. 203 sqq.

narratur. Huc accedit, quod Alcyoneus, etsi in fabula antiquiore belli contra deos particeps non est, tamen Phlegræ incola est; quam sive ardentem, sive lucentem terram vertimus, hiemi aptum domicilium non est. Ne hoc quidem Schœmanni conjecturam commendat, quod Herculem vernum calorem putare cogitur.

Quibus difficultatibus commoti, neque Alcyoneum neque cæteros Gigantes imagines rerum naturalium habemus, neque omnino fabulæ illi sensum reconditum tribuere audemus.

JUL 1 6, 1870

Bekjendtgjørelse.

Ministeriet for Kirke- og Underviisningsvæsenet har under 12te d. M. bifaldet følgende af Consistorium i Henhold til § 2 d i den allerhøieste Resolution af 10de Mai f. A. (Bekjendtgjørelse af 19de s. M.) angaaende Erhvervelsen af de academiske Grader ved Kjøbenhavns Universitet foreslaaede Bestemmelser til Ordens Opretholdelse ved det offentlige Forsvar af Afhandlinger for Erhvervelsen af bemeldte Grader, nemlig:

1. Forvarshandlingen styres af Facultetets Decanus eller af en anden dertil af Facultetet udnævnt Professor. Styreren giver Ordet og paaseer, at Handlingen foregaaer paa en værdig Maade; han kan paalægge en Opponent at ophøre og i fornødent Fald afbryde Handlingen. Styreren deeltager ikke selv i Disputationen.
2. Berettiget til at optræde som Opponenter ere ordentligviis kun academiske Borgere, uden Hensyn til Livsstilling, samt Candidaterne fra det polytechniske Institut og det forrige chirurgiske Academie. Andre, som ønske at opponere, maae derom forud henvende sig til vedkommende Facultet.
3. De, som ville opponere, have at melde sig hos Facultetets Decanus *inden* Begyndelsen af Handlingen; dog kan Styreren ogsaa give Tilladelse under selve Handlingen, men uden at betage dem, som tidligere have meldt sig, Forretten.
4. Der tilstaaes ordentligviis hver Opponent ex auditorio $\frac{3}{4}$ Time; dog kan Styreren, forsaavidt som Antallet af de anmeldte Opponenter tillader det, tilstaae en længere Tid. Hele Handlingen maa ikke vare over 6 Timer.
5. Foranførte Bestemmelser skulle indtil videre trykte medfølge enhver Disputats.

Dette bekjendtgjøres herved til Efterretning for alle Vedkommende.

Consistorium, den 26de April 1855.

J. E. Larsen.

J. Gram.

F. C. Petersen.

(L. S.)

MDCCCLXIV.

Deacidified using the Bookkeeper pro
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: Jan. 2005

PreservationTechnolog
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVA
111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS
0 013 685 314 4